IOANNIS VOSDASSI

S. R. M. Secretarij.

PROIECTA POETICA.

Editio Prima

Sumptibus Auctoris.

Anno Dni, M. DC. LXXVI.

CRACOVIÆ,

Typis VNIVERSITATIS.


AVRORA MVSIS AMICA
RESCIT NON TVMESCIT
Reseruant et reserant.
I. M. PROIECTA Poet.

Illustrißimo & Excellentißimo Domino

D. ANDREÆ

De Raciborsko

MORSTIN

Regni Poloniæ Supremo

THESAVRARIO.

DEDICATIO.

HOc libellus iste facit iussu meo, quod ego tuo soleo, id est, ad te venire. Neuter nostrûm aliquo merito, vt principium meriti tibi deferamus. Cùm hanc scriptiunculam condicerem, non eras in eo albo. Maiorem te sciebam, quàm vt nomen in leuioris operæ patrocinium deducerem. Illud imperium contanti animos indidit, & cùm cæteris omnia tua in venerationem veniant, mihi ad te colendum temeritas accessit, quam ne tibi imputes in mea culpa etiam igno-

ſce. Laudantibus apud NICOLAVM V. Pontif: Max: Poëtas aliquot bonos Romæ eſſe. *Non credo, inquit, cur enim ad me non veniant, qui malis etiam pateo.* Ingreſſus Tu in eam laudem, cui quamquam multùm de Apolline, & plurima verſu laurus & gratia, tenues vt iſtæ ſunt, Camænas faſcibus non ſubmoues. Facis vtrumque vſu Principum qui de ſerijs interdum in humaniora deflectebant, prompti carmine & in id genus fauore. *Summi viri*, ait *Rom: Conſul*, Plin: Epiſt. *ſic ſe exercebant & delectabant, immo delectabant exercebantque.* Rectè *ſummi viri:* eius gloriæ fidem feciſti ciuili malo, quo nuper Reſpub: pene hauſta. Non perinde iudicari tunc poterat quid optimum factu foret, quàm peſsimum fuiſſe quod fiebat. Veniam habuerit dare partem aliquam memoriæ publico illi dedecori, dum & conſtantiæ tuæ damus. Maieſtatis vocabulo poſtulatus caſtris in Curiam verſis: prætexto *Caput Electionis* petitum; causâ, quibus turbida in occaſionem gratiæ, & nouæ potentiæ trahebantur. Quamquam aliena tempore ſuaderent, vt anxij libertatis cum fide auditi. Acceſsit Princeps nimiâ ſuî conſcientiâ promiſcuis inualidus; poſtremò ſuper arma, deterrimum iudiciorum genus, turba. Erexit te iſta tempeſtas, egitq; cauſam egregiè: cum deſignato fatis Principe includi, quod pro innocentiâ longè eximium,

mium, quàm quòd lege publicâ absoluebaris. Puduit accusationis delatores, & si quando tunc libertas sibi infensa licentiæ inuidiam perpessa est. Hæc tua aduersis firmitas, quantus verò prosperis occurris? Vix ab externarum gentium cultura, multam morum elegantiam Regijs fauoribus maturus vertisti, ita honoribus destinabaris. Acer ille censendis & in aulam prouehendis Ioannes Casimirus Rex, Ludouicæ Mariæ suffragio, ingentium consiliorum instrumenta parantis, primò intimi Sigilli administrum, mox Regni Referendarium, deinde Thesaurarium esse voluit. Neque subitus huc venisti. Ardua & operosa legationum ad Cæsarem, ad Reges Galliæ & Sueciæ, ad Imperij Comitia & Transyluanum pronum iter aperuêre. Vbi quantùm prudentiâ & grauitate eualueris, honoribus tibi habitis, Repub. adiutâ patuit. Cyneæ suo Pyrrhus non plus tribuerit, quàm tibi Patria. Ergò præclarus consilij ac industriæ animus iste tuus tanto muneri, & munus tanto animo respondebat, quo innocentes maiorum fortunas non corrupisti. Illud enim in te magnificum, quòd nihil de honoribus tuis accipis, ad omnes comis, non aditu, affatu etiam imò consuetudine expositus. Ingreditur passim & te fruitur vulgus, pauper, miles, nullâ ianitorum gratiâ, vnius humanitatis ductu. Festinanti in tuis virtu-

tibus manum inijcit, munificentiæ consuetudo. Menses in singulos accipere mensâ egenos, cibum potumq; mendicis manu Thesaurarij porrigere, accumbentium squalorem obire, obeuntes velut menstruo stipendio veteranos prosequi, Vxorem inclytum Marchionum sanguinem, in hæc seruitia præcipuam addere. Nisi quòd anceps reddidistis, tu illius moribus, an illa tuis faciat, sed siquidem consorti sufficit obsequij gloria, tuis inscribo. Hoc asseuerat domus ægris alendis, fouendisque præter ipsius aulæ latera atq; in oculis fundata. Prauo ambitionis more dissociata, Aulam & Misericordiam iunxisti. Nec poterat securiùs custodiri nepotibus tot fortunarum hereditas, quàm Religiosorum & pauperum locatis iuxta excubijs. Quare necessitatem posteris imposuisti, vt non possint esse nisi pij, nisi Patres pauperum, quos tales non feceris, tantùm amaueris. Videlicet contrariorum viciniâ, intendere & incendere miserationis ardorem voluisti. Quòd si aliquando in ambiguo esset, tuo constabit iudicio, claritudines demissione clarescere, seruari largiendo diuitias, & optimè dari ijs, qui dare non possint: deniq; rectè composuisti Palatium & Nosocomium, quorum altero calamitas, altero tutela habitaret. Ita tuus tutelaris D. Andreas, quem templo dedicasti, te nouæ pietatis apud victuros

ros exemplar ſeruet. Seruet filium vnius fere luſtri, iam tuæ inſtitutionis capacem, non præcocitatis vitio, ſed tui vigoris particulâ. Firment vos ipſi infirmi, quos Palatinos tuos eſſe dignaris. Atque hæ quidem virtutes quamquam ſumma gloriæ impleuêre, tamem & eruditionis laudem admittunt, quæ tibi tanta eſt, quanta & Sapientis menſuram conſtituit & Senatoris decorum. Propioribus ſcientijs ad vulgum reiectis, longinqua naturæ ſecutus non vno Sapientiæ genere. Sublime & erectum ingenium non reliquit intentatum quod Phyſici, quod Aſtronomi credi voluêre, vltra mouiſti tantò ſolidiùs, quòd non auctoribus, verùm iudicio & experimentis: vt Philoſophia tua abſit vulgari, quanto auditorium & cenſura. Inde multa lectio, diſſertatio firma, expedita de quouis propoſito ſententia, multiplices ac reconditi ſenſus. Ipſum hoc Palatium eruditionis an elegantiæ dixerim, certè vtriuſque monumentum. Ita enim ad legem ordinem, rationem, & quod difficillimum retinere ex ſapientia modum, quem ſicut tibi, ita ædificio dediſti. At verò cùm tantus ſis qualem aſpicimus, maior es, quòd citra magnitudinis metum carminibus coli potes. Auguſti arrogantiam auerſatus, viliorum Pòëtarum carmine obſoleſieri metuentis,

cùm

cùm nec inter malos verſum faceret. Proiecta nomen dedi, quo modeſtiam illis indixi, ne famam epigrammatum inuaderent. Potiſsimùm autem quia reuerentiâ Pòéſeos tuæ, ſic habitu ſupplicis proſterni oportebat, donec veniam & licentiam aſſurgendi donares. Permittes itaque hiſce apud te inter reiectanea eſſe, locum non lucem, vmbram non famam poſcentibus. Iamq; ſcriptorem inter tuos ſcribes, & cultorem & clientem: illum pro tuis virtutibus, hunc pro delatis in me beneficijs.

IO-

MIHI ET MVSIS.

LVsi musteum libellum, aliquo ludentis in Orbe terrarum Sapientiæ imitamento, vel ad Diuorum Innocentium mores, qui Sedulio visi:

Aram sub ipsam simplices
Palmâ & Coronis ludere.

Auxit impetum togatus. *Fas est, inquit,* Plinius *& carmine remitti, non dico continuo & longo id enim perfici, nisi in otio non potest: sed hoc arguto & breui, quod quantaslibet occupationes curasq; distinguit. Lusus vocantur, sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quàm seria consequuntur.* Subit moueri in eos, qui ingenia discingunt, & lætioris animi partem Cypro litant. Diuersum mihi ab hoc turpiloquio institutum, aduersanti acumen in verecundiam versum, & famam ingenij per infamiam negligenti. Quanquam praua seculi rideo interdum liberiùs, non tamen ingero, peccare docentem linguam epigrammatum nullibi professus. Cæterùm ab Antistite Massiliensi, istius libertatis partem traxi. *Cui* inquit *diuitum non domus ac familia sua scortum est?* Et Aquitanos suos quàm calidâ eluit? *De concubinis dici forsitan iniustum esse videatur, quia hoc in comparatione supradictorum, quasi genus est castitatis, vxoribus paucis esse contentum.* Huc affluunt A-

loysij Nouarini, *Aquæ Nuptiales*, obſcænum ſacris & profanis Nomen, tamen illâ præfatione excuſatum. *Licet impura tangamus, tangimus tamen purè.* Multùm intereſt ſoluas aliquid aut remittas. Ideò honeſtatis voto ita ſatisfacio, vt nullum carmen verſo pollice damnare debeat. *Si & ridebitur alicubi materijs ipſis ſatisfiet. Multa ſunt ſic digna reuinci, ne maieſtate adorentur*, aio cum Tertulliano. Iudicium eſt Stoici. *De humano quoq; genere meliùs mereri, qui ridet illud quàm qui luget. In hoc flectendi ſumus, vt vulgi vitia non inuiſa nobis, ſed ridicula videantur, & Democritum potiùs imitemur, quàm Heraclitum.* Ingenua ioca etiam apud ſacros homines veniam accepêre, ius ludendi eſt ſub conditione, *ludatur, nemo lædatur.* Ad Saluianum iterum appello. *Nunquid lætari aßiduè ac ridere non poſſumus niſi lætitiam, atq; riſum noſtrum ſcelus eſſe faciamus? An fortè infructuoſum putamus gaudium ſimplex? Rideamus quæſo quantumlibet immenſuratim, lætemur quamlibet iugiter, dummodò innocenter.*

Quoniam verò hæc plerumq; in tranſcurſu ſcripta, atq; nullâ curâ vigent, dixi Proiecta. Indicio, quòd verſus non ſolicitus & quaſi domi natus. Placuit cum Bilbilitano. *Verſu ludere non laborioſo,*

Moroſâ ſine cogitatione.

IOAN-

IOANNIS VOSDASSI, S. R. M. Secretarij PROIECTA.

LIBER I.

1. Lex Legentium.

Istâ lege legant mea scripta boniq́; maliq́;,
Quæ benè scripta mali, quæ malè scripta boni:
Emendant benè scripta malos, malè scripta boniq́;
Emendant: malus hæc scripta bonusq́; legat.

2. Typographiæ.

Quòd volites nostræ debes hoc reddere pennæ
Quòd volitem, plumbo debeo ferre tuo.

3. Laurus.

Et fugi & vici, hinc sum Laurus Virgo: puella
Non aliter laurum quàm fugiendo feres.

4. Daphne.

Fugit formosum Daphne pulcherrima Phœbum,
Non fuit ille Deus, sed fuit ista Dea.

5. Obiectum, Subiectum.

Obiectum cælum est hominis quod spectet ametq́;
Vile est Subiectum quod pede Terra premat.

6. P. M.

Seu Magnus, Maior seu Maximus es, tibi Mortem,
Littera significat Prima, Memento Mori.

7. Fides, Spes, Charitas Coniugij.

Spes est dum fiunt Sponsalia, Coniuge ductâ
Spes abijt: remanent stricta Fides & Amor.

8. Labuntur anni.

Annus & Anna pares sibi sunt, vt labitur Annus
Sic etiam quouis labitur Anna die.

9. Miles, Limes.

Non est securus Patriæ sine milite limes,
Non sine securus Limite Miles erit.

10. Noua & Vetera.

Non quæuis nouitas mala, nec bona quæq́; vetustas
Nec noua quæ mala sunt, nec mala quæ noua sunt.

11. Votum indeuotum.

E voto appendit virgo deuota corollam,
Votum deuotam tale fuisse negat.

12. Auri sacra fames.

Auri sacra fames: rerum quia magna sacrarum est,
Siue quòd in sacris maxima Presbyteris.

13. Maculæ.

Candori maculas vt sis formosior addis,
Hæ maculæ monstrant quòd tigrin intus alis.

14. Luxuria seculi.

Tot sunt Sacramenta quot & Peccata fatemur,
Extrema heu contra est Vnctio Luxuriam.

15. Quatuor tempora aulæ.

Temporibus quatuor flectamus genûa monemur,
Tempora quottidie quattuor Aula colit.

16. Prædicatori.

Recta doces, viuis malè: nonnè stipendia sumis?

Prædicator.

Non vt ego viuam sic emor, vt doceam.

17. Carnalis.

Materiâ constant, constant & corpora formâ
Nulla tibi forma est, plurima materies.

18. Generatio Aulica.

In producendis præit Priuatio rebus
Principium hoc, aliquem dum creat aula, tenet.

19. Amicus & obsequia suo modo.

Actio apud Physicos est & Modus Unio quidam,
Uniri ac agere haut fas erit absq; Modo.

20. Aurum.

Plurali numero caret, vno dicitur Aurum;
Aurum non plures vnus habere cupit.

21. Carpus, Parcus.

Est tibi dextra tenax, nil de te carpere possum,
Non carpus nobis postea, parcus eris.

22. Caluities.

Horrea sub nullo spectantur inania tecto,
Et caluo vacuum suspicor esse caput.

23. Non meliora, feliciora.

Non meliora meis, longè felicia scribis
Vix mea quis quærit carmina, nemo tua.

24. Dialectica Aulæ.

Nulla negatiuis sequitur conclusio puris
Nil dando efficies atq; negando nihil.

25. Munera.

Præferri potuit tibi nullus ante Patronus
Isti præferri iam modò nemo potest.
Hic modò dat nobis: vix & pauca ante dedisti,
Munera quid faciunt? hunc colo te colui.

26. Spiritus, Caro.

Spiri-

Spiritus est reliquos quem aiunt animare Poëtas,
Spiritus Oueni carminis, vna Caro.

27. Plenilunium.

In cerebro rarò residet Sapientia plena,
Dum crebrò resident pocula plena manu.

28. Silentium.

Ad nostram seruas ingrata silentia mensam,
Vt comedas seruas os reticendo tuum.

29. Sacellanus, Kochan.

Ad Missam regina: aberat fortasse Sacerdos,
Fertur enim totâ nocte vacâsse scyphis:
Serus adest tandem facie buccâq; rubente
Cui Regina, diu cur ita dormit? ait:
Presbyter hoc potuit tantùm excusare: iacere
Vix capi, longus quàm fuit iste sopor?

30. Sancti Patres.

Hæretici Sanctos nolunt admittere Patres,
Pro Sanctis ipsos se statuère Patres.

31. Motus auditorum.

Verba facis populo scamnis abit ille relictis,
Corda mouent alij tu nisi verò pedes.

32. Fides antiqua.

Sponsa quadraginta nondum tua computat annos
Crede, annos eadem dixerat ante nouem.

33. Debitor, non debitor.

Hoc debes quod habes, ſed habes nihil, omnia luſtris
Decoxiſti, igitur dic benè debeo nil.

34. Cracouiæ noctes.

Pileus eſt raptus tibi eunti nocte per Vrbem,
Vrbem in honore habeas, nec tege nocte caput.

35. Typographia Oliuenſis.

Dat nocti lucem tollitq́ rubiginem Oliua:
Veſtra vtrumq́ meis præſtat Oliua libris.

36. Medium, Id meum.

Stultitiæ prima eſt, extremam obliuio carpit
Ætatem, Medium id quod modò ſcribo, meum.

37. Mulier.

Dicta fuit mulier melior quaſi viſa fuiſſet
Grammaticis, proprio quæ bona rara viro eſt.

38. Moria, Amori.

Qui dulces cantas verſus & ſcribis Amori,
Crede mihi tuus eſt iſte Moria labor.

39. Oliuenſis Typographia.

Vt fundant pingues vnguenta premuntur Oliuæ,
Ingenij partus vt det Oliua premit.

40. Opella opus.

Exſcribit, repetit, titulorumq́ addit aceruos,
Non opus hæc aliter poſſet opella dari.

41. Leo-Virgo.

A Geminis distat vicinaq; Virgo Leoni,
Tutior est Geminis Virginis iste Vigil.

42. Virgo-Leo.

Inter signa Leo Virgo cælestia: signum
Cæleste in terris est quoq; Virgo-Leo.

43. Hospes.

Astra pluunt, lux ista mihi lætißima ridet,
Vultus hic expositi solis ad instar erit.

44. Sinceritas.

Parce vndæ potaq; merum: nam spectat ad aram
Præceptum, ad mensam non ligat istud aquæ.

45. Adam, Heua.

Matris ab H *nomen, Patris ex* A *incipit: iste*
Ah! prior Heu! natis adtulit illa suis.

46. Pœna peccati.

Quid facitis quando domina seruitis in aula?
Pœnas peccati dat benè quisq; sui.
Æris hic absumpti, hic pœnas luit ambitionis
Hic nimiæ fidei, cætera turba spei.

47. Epithalamium.

Nulla senex facies hâc cum diuortia nupta,
Diuortî poterit frigida causa dari.

48. Ouenus.

Oueni paruum decurri hinc inde libellum,
Legiſſem totum ſi minor ille foret.

49. Prælum Typographicum.

Ex atramento liber hic ſplendeſcit vt auro,
Et prælum chartam quam premit haut perimit.

50. Perfectus Orator.

Rhetoricæ partes ſunt quinq;, & ſunt tibi quinq;,
Iudicium non eſt ſexta, nec illa tibi eſt.

51. D. Martinus.

Veſtem habuit mediam à Martino milite pauper,
Iam noſter totam à paupere miles habet.

52. Ius Caſtrenſe.

Quonam iure rapit miles de paupere? ab vſu
Miles Martinus quod dedit ille ſagi.

53. Cura animarum.

Feruens in vobis animarum zelus & ardor
Curatisq; animas negligitisq; animos.

54. Omnia bibunt. Kochánou.

Terra bibit pluuias, terrâ bibit arbor & herba
Aſtra mari potant fluminibusq; mare.
Neſcio cur toruo ſpectemur lumine multis,
Et nos in noſtra Vina bibiſſe ſiti.

55. Scholasticus.

Audiuit iuuenis centum annos viuere coruum
Emit, vt hoc verum necnè probaret erat.

56. Carus, Icarus.

Icarus ante patri longè carißimus, illum
Narratur serò corripuisse Pater.

57. Mars, Mors.

Fœmina Virq; hominem pariunt: Mors fœmina Mars Vir.
Fœmina Virq; parit, fœmina Virq; necat.

58. Epithalamium.

Bis puer est cui stulta seni Victoria nubis,
Coniugium vobis hoc erit inualidum.

59. Papæ, Papæ!

Anglia Romano non vult concedere Papæ,
Occiso seruis Anglia Rege, Papæ!

60. Venus.

Seu à venando, seu quòd venalis habetur,
Siue venenando dicitur esse Venus.

61. Ab arca.

Quòd prælaturâ tumeas, caleasq; recenti
Non tu Prælatus factus es, Arca tua,

62. I. C.

Jurisconsulti numeris sua Nomina scribunt,
Si nil quod numeres est tibi, Iura Caue. C 2 Ho-

63. Honos ὄνος.

Non sua portat ὄνος, nec honos sua munera portat,
Tardus honos & ὄνος: iam quid honos ὄνος est.
Sed leni signatur ὄνος, te spiritus asper
Signat honos: heu est quem cupis asper honos.

64. Consuetudo.

Pauca bibo tu multa bibis: quòd & altera tecum
Consuetudo bibit, solus & vnus ego.

65. Epithalamium.

Infima sit species, Genus at substantia summum
Vxori summam dat Genus hoc speciem.

66. Verbis, vt nummis.

Verbis vt nummis vsa est felicior ætas,
Nunc nummi præstant omnia, verba nihil.

67. Opus Rubensi, Fuga IESV.

Pinge Rubens alium, quem Herodes perdere poscat,
In talem puerum nemo tyrannus erit.

68. Hyacinthus.

Est omnis caro fænum, flos & gloria fæni,
Est Hyacinthe horti flos caro facta tua.

69. Immori Libris.

Dicunt quòd Tacito, quòd & immoriare Platoni,
Hoc est quo sensu mortis imago sopor.

70. Capita vxorum.

Germanus longos crines alit, Italus, Anglus,
Gallus, vt vxorum se caput esse probent.

71. Beneuolus Auditor.

Tam tenui quidam dixit pro funere voce,
Quàm solet in vacuo stridere musca vitro.
Audiuit nullus: noster tamen aulicus audît
Hic audire, audit quod nisi nemo, solet.

72 Promissum, Amissum.

Promissum excusas aurum, quòd tum ebrius esses,
Accipiam nunquam sic ego pollicitum.

73. Non sitio.

Vina sitibundus non eligit, & mala potat:
Ad tua non venio prandia, non sitio.

74. Epithalamium.

Varietas delectat: ob hoc plerique mariti
Fiunt, Vxor enim maxima varietas.

75. Velare, & Leuare.

Quòd Velas faciem facis hoc vt honesta puella,
Vestem quando Leuas non vt honesta facis.

76. Aulica Pòésis.

Ille Pòéta malus, qui verum dicit Oueno,
Ergo Pòéta bonus aulicus omnis erit.

77. Sublimiter.

Ad populum dicit, celsè, ſublimiter, altè
Hoc eſt exalto ſic reputate loco.

78. Laudatus, illaudatus.

Quo ſcripſi laudes rediit ſine munere carmen,
Non iſtas laudes credo fuiſſe tuas.

79. Scriba.

Tam multis Romam literis quid neſcio ſcribis,
Hoc ſcio reſcribat quòd tibi Roma nihil.

80. Capillitium.

Calliotriche comis nec te pudet vteris emptis,
Emiſſes potiùs Calliotriche caput.

81. Feſtiui.

In feſtis adeunt templum feſtisq; precantur,
Feſtiuos tales dicite Canonicos.

82. Clamoſus.

Quando tuas clamas tenebras, ego poſco viciſsim,
Ne clames: vocem te ſcio habere bonam.

83. Rhetorica Vxor.

Prudens vt doceat natos; delectet vt vxor
Pulchra ſit; vt moueat ſit quoq; læta virum.

84. Literis exultus.

Ibis in Italiam ſi vis Prælatus haberi,
Hinc literatus S. T. I. V. D. redi.

85. Solus.

Nemo te melior Sophus est, & nemo Pòëta,
Et nemo dicit te meliùsq; docet.
Nemo te meliùs distinguit sidera: nemo
Soluit cùm dubius pectora casus habet:
Sanctior est nemo, nemo deuotior est te,
Post mortem nemo certior astra petit.
Nemo te meliùs quidquam facit: excipe nemo
Te meliùs, quàm qui nil tibi credit, aget.

86. Varia.

Aspergis nigras per candida tempora guttas,
Non vnum, varium fœmina semper amat.

87. Esca in tempore opportuno.

Formula quâ mensam benedicit quisq; Sacerdos,
Est opportuni temporis illa memor.
Quæ paßim nostris deuotio non viget aulis,
Non opportuni temporis esca venit.

88. Papista.

Non Papista ego sum, meus est Papa iste Paterq;,
Sed Pap' ista Anglis Elisabetha fuit.

89. Siradień: Nuptiæ.

Prouida quis neget est temulenta Siradia sumptûs,
Vno quo nubit tempore, funus agit.

90. Le-

90. Leuitas Materiæ grauis.

Vt coram stuprum purgaret Matre, puellæ
Tantillum peperi non graue credo scelus.

91. Fur.

Res tollis domini post res tollêris & ipse,
Humano vult fur altior esse statu.

92. Verbis vt Nummis.

Verbis vt nummis vti benè discite: sit res
Tam pretiosa loqui, quàm pretiosa dare.

93. Patientia Lublinen.

Iudicis est virtus patientia, Plinius inquit
Dixisset virtus, hæc magis vna rei.

94. Comes rei priuatæ. Ammian.

Publica non curas: Comes es sed nescio cuius,
Priuatæ Comites inter habebo rei.

95. Bern: Syluestris.

Hoc benè Bernardi sensu facit ebrius vnum,
Quòd velut in centrum corruat ille lutum.

96. Sermo. Mores.

Occultos animi qui vult cognoscere mores,
Illius quinam sit modò Sermo vide.

97. Epitaphium, φιλόντων.

Mors & Amor certant, & adhuc sub iudice lis est,
Vtrum Amor à Morte, an Mors ab Amore venit.

98. Inter virtutes habebitur aliqua neſcire. *Quint.*

Eſt ſi Virtutes inter non omnia ſcire,
Qui nil ſcit, virtus maxima talis erit.

99. Duo Zelotypi.

Omnia amicorum communia: adulter, auarus,
Nil commune aliјs vellet vterq; ſuum.

100. Penetratio aulica.

Præſens aula dies geminos collegit in vnum,
Prandia ſunt hodie cœnaq; poſtridie.

101. Concionator.

Intellecta mihi pars eſt: pars altera ſoli
Intellecta tibi, ſic ſumus ergo pares.

102. Ad Sanum fluuium.

Guſtauus ſitiјt, ſanas quæſiuerat vndas
Repperit: à Sano ſed malè ſanus abit.

103. Superbia, Abi ſuper.

Semper abi reliquos ſuper, alta ſuperbia dicit
Mutatis literis hoc docet illa ſuos.

104. Auaritia.

Quidquid Auarities agit aut ait, aut meditatur
Eſt Auri Ratio ſola & vbiq; ſibi.

105. Ira huius ſeculi.

Ira eſt vindicta at ſine lege ac ordine: noſtra
Cum legionibus eſt ordinibusq; venit.

106. Luxuria.

Quòd breuis eſt veluti lux: aut quòd luget & vrit,
Luxuriam hinc meliùs dicite Grammatici.

107. Gula.

Ebrietas gu-ſta-labris modò pocula, ſuadet:
Guſtabis? veniet mox ſine fine Gu-la.

108. Inuidia.

Inuidus atq; auidus correſpondêre videntur,
Eſt alieni auidus, quisquis & inuidus eſt.

Quinquageſimus Iubilæum Europæ dediſti.

109. N. A. L. Impp.

Dat Iubilæum Europæ Leopoldus & Orbi,
Auſtriacos Papas credis & ipſe creas.

110. Comes Nadaſdi, 1673.

Dat Iubilæum: Nadaſdi tale lucratus,
Quod dare Papa ſolet Mortis in articulo.

111. Crater inter eclipſes oritur. *Ptolem.*

Eclipſes inter crater: ita tempore menſæ,
Eclipſim patitur dum caput, ille oritur.

112. Miles, Limes.

Miles coërcet limites,
Limes coërcet Milites.

113. Pictor & Magiſter,

Sunt

Sunt similes turpis pictor malus atq; magister,
Pulchra facit turpis, dicit honesta malus.

114. Extra limen nihil. *Plut: Lac.*

Verbum conuiuis efferre Laconibus illâ,
Non licuit portâ, quâ maduêre domûs:
Germani seruant conuiuæ hoc atq; Poloni,
Egressus verbum dicere nemo potest.

115. Nec verbum, nec tu.

Nec verbum egreditor: quâ lege bibêre Lacones
Hâc nostri, Nemo hinc egrediare, bibunt.

116. Composita.

Vespere se lecto componit, manè capillos
Et vestes: mores hi tibi compositi.

117. A Villa.

Cùm priuatiuum sit A: *conuenienter Auillam*
Appello, ex multis villa nec vlla tibi est.

118. Ex officio Vars.

Vicinus bonus est: nec amas quas in colis ædes,
Vicinam malles hîc habitare bonam.

119. Cuiauia.

Cùm dat solennes epulas Cuiauia multis,
Vt parcat cellis horribiliq; zytho.
Repperit illa modum: cæso namq; hospite curat,
Vno vt conuiuâ mensa sit illa minor.

120. Aulicum Verbum.

Affirmat pro te Regi se multa locutum:
Affirmat solus, tota quod aula negat.

121. Galenista, Lagenista.

Galenum recitas hinc Galenista vocaris,
Esse Lagenistam crebra lagena docet.

122. Viatorium.

Hoc ora quoties peragranda Polonia votum,
Rusticus vt nobis pons faueantq; precor.

123. ἔχειν, Anagr. χέειν.

Nil habet in solidis liquidorum est vnica cura,
Est illius ἔχειν, *nocte dieq;* χέειν.

124. Nil gratis.

Nil gratis faciunt rerum Natura Deusq;,
Hoc titulo faciet gratis & Aula nihil.

125. Inuitatus, inuitus.

Porrigis argento; vt veniam cras, adijcis, ad te
Argentum solum porrige ne veniam.

126. Amanuensis.

Quâ multos noster medicus sanare solebat,
Ipse suâ imprudens perdidit arte manum.
Quo sectâ medicus fungetur munere dextrâ?
Non meliùs quàm post Amanuensis erit.

127. Patiens.

Consule nunc medicum patiens securior auri,
Vnâ non poterit sumere tanta manu.

128. Versipellis.

Te versi-pellem dixi: sic accipe dictum,
Dixi, quòd versâ tergora pelle tegas.

129. In Sacco.

In sacco argentum, in sacco seruatur & aurum,
Te cur in sacco Tasse fuisse pudet?

130. Claudus.

Quòd præstem semper tibi ne mireris honorem,
Tu mecum flexo poplite semper agis.

131. Rogoq́;, negoq́;.

Hoc vetus est vinum rogo, perdix hæc rogo pinguis,
Hic armus leporis est vituliq́; rogo.
Istâ lege bibam tecum cœnaboq́;, fas vt
Sitq́; rogare tibi, sitq́; negare mihi.

132. Medicus.

Quando consilium rogabat æger,
Dicebas bone Doctor: hæc est
Peccans materia, & leuandus humor:
Hæc multùm quia cepit æris: ergo
Peccans materiâ secanda dextra.

133. Veturia.

Stultè collum aperis rugosaq́; pectora nudas,
Non aliter tu quàm tecta placere potes.

134. Aulla, Olla.

Aulla quod antiquis hæc nobis dicitur olla:
Denigrat olla coquit, denigrat Aula coquit.

135. Paterfamilias præteritus.

Quando tuæ iam iamq; domi feror esse futurus,
Heus tu præteritus diceris esse domi.

136. Diues, Vides vi-des.

Diues multa vides: tibi multâ vi est opus vt des,
Extremum verbi des anagramma tui.

137. Seruatius.

Quæ meliùs sapiunt, seruas obsonia cœnæ:
Tecum pransurus manè rogatus eram.

138. Viuitur casibus.

Accusatiuo Iurista, Reusq; Datiuo,
Ille quidem casu surgit, & iste cadit.

139. Proprietarius.

Biblia habent Rhetorq; Locos, Sophus atq́; Pòésis,
At tua communes non habet arca Locos.

140. D. R.

Doctor ab vrbe redis: per tot discrimina primam
Vrbis habes literam, Doctor ab vrbe Rudis. Pòé-

141. Pòéta, Epota.

Epotas versasq; scyphos vertisq; Pòétas,
Nomen ab Epota voce Pòeta trahis.

142. Iracundus.

Maturè inuitor, sed apud te prandeo serò,
Et condis ideò fuste terisq; coquum.
Maturis adeò quæso me subtrahe mensis,
Incoctum ne quid quod cocus êdit edam.

143. Imperfecti operis.

Vulnera multa geris, longè quoq; plura mereris,
Imperfectum auctor te ille reliquit opus.

144. Aurum l' oro.

Vix aurum quisquam ostendas, ait Italus oro,
Verbum non nomen Italus oro putat.

145. Notabilis.

Grande tuo vultu scripsit quis nescio stemma,
Diceris insignis nobilis esse notæ.

146. Solâ mente.

Sunt vestes, vinum, panis, liber, ara, calixq; &
Cætera: non celebras? mens tibi sola deest.

147. Stipes.

Stipes es, & similes à te descendere iactas:
Haut procul à proprio stipite poma cadunt.

148. Au-

148. Aula Sancta.

Scis de relligione tua quid iudico? dico
Relligiosa aula est, aulica relligio est.

149. Causidicus.

Debitor vnum mille dedit citò, mille negabat,
Et coram gesta est iudice causa suo.
Pro quo causidicus cùm plurima diceret, addit
Qui citò dat bis dat, mille bis ergo dedit.

150. Me-cœnas.

Creber apud Dominum maturo vespere cœnas,
Hâc Mæcenatem conditione vocas.

151. Famatus.

Omnia si perdas famam seruare memento,
Hanc vnam seruas prætereaq; famem.

152. Nuda gratia.

Non fingunt nudas Charites fingendo Poëtæ,
Nam tua me mirum! gratia nuda tegit.

153. Epitaphium.

Hîc pendet mæchâ deprênsa vxore maritus
Non potuit mæcho commodiùs facere.

154. Conuiua Pòéta.

Porrigis, argentoq; famem mihi cogis adesse,
Quod comedo nolim, quo comedoq; velim.

155. Do-

155. Dominus respondet.

Hospitis & Domini recta hæc diuisio facta est,
Argentum Domini est, hospitis esto cibus.

156. Parisij.

Hîc amor hîc Venus est, hîc totâ viuitur Vrbe,
Carmine Nasonis: Tu Pari semper ama.

157. Epitaphium.

Vna Acheruns vini, mare mortuum, & vrna Scyphorum,
Nescio quid scribam? est hîc situs an sitit hîc.

158. Epithalamium.

Duxisti grauidam quæsitâ prole puellam,
Hoc facis ex veteri carmine, Nube pari.

159. Epitaphium.

Coniugis ob stuprum vir se suspenderat: ô sors!
Vxori mœchus qui fuit ante suæ.

160. Vtile dulci.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci,
Vino hîc miscendam caupo probauit aquam.

161. Lublinum.

Causam amisisti, lucratus es ergo quietem,
Lublinum nunquam retro venire licet.

162. Aula, Laua.

Sordida sint veluti quæcunque geruntur in aula,
Cùm tu aulam, cùm te deseret Aula, Laua.

163. Modus Aulicus.

Quis Modus & certò & semper concludit in Aula,
Scire necesse, suis non caret Aula modis:
Partem Da-rapti non paruam protinus auri,
Seu rapti templo paupere, siue foro.
Omnia concludes vel iniquo Cæsare si des,
Absq; modo Dabitis diligit aula Modum.

164. Polygamus, Polygonus.

Quintam duxisti, susceptaq; plurima proles,
*Vis de Viginti Millibus esse domo. **

* Hieraeen: Familia à cæsis XX. M. Maur.

165. Tmesis.

Tmesis verba secat verbis contenta secandis,
Dura Polonorum tmesis & ora secat.

166. Testamentum, Kochan.

Fac testamentum, Monachus sic suaserat ægro:
Accipe, hic inquit, habes & vetus atq; nouum.

167. Res bibere.

Tempus edax rerum: cui prouidisse viderîs,
Ne res tempus edat, res bibis ipse tuas.

168. Annus mulierum.

Est annus mulier quo ornatur tempore: tanto
Dum virgo ornatur tempore prodit anus.

169. Ars magna.

Si te Celarent aulæ secreta ministri,
In formâ tua si est Barbara, cuncta scies.

170. Inflatum punctum.

Inflata in Quanto fingunt qui nescio puncta,
Inflatum punctum credo, superbus homo est.

171. Epitaphium Lucretiæ.

Euryalus iacet hîc, alibi Lucretia viuit,
Alibi ille viuit, hîc iacet Lucretia.

172. Felic. record.

In testamento nos qui meminêre: tenemur
Istos felicis dicere memoriæ.

173. Dobrzynia terra.

Conuiuarum aliquot rectè Dobrynia tollit,
Vt circumspecti sobriùs atq; bibant.

174. Qui vales?

Quî valeam seu manè ex me seu vespere quæris?
Quæstio non ad te hæc pertinet ad Medicos.

175. Forma dat esse rei. *Lublin.*

Coniugis ob formam reus est vir lege solutus,
Sit veluti dictum: Forma dat esse Reo.

176. Breuitas.

Non mea laudari curant modò secula: longum
Laudate est: gaudent hâc breuitate, date.

177. Martialis explicatus.

Cuius vulturis hoc erit cadauer?
Hæc intellige de pecunioso
Carmen presbytero simulq; parco,
Cuius Præsulis hic erit Sacerdos?

178. Malum benè positum.

In te scripsêre & de te mala multa Pòëtæ,
De te in te meliùs Zöile scribo nihil.

179. Incerti auctoris.

Te pudet incerto genitum patre? nonne pudicè
Incerti auctoris dicimus esse libros?

180. Mens demens.

Longa ars vita breuis: quod dictum fallit in illo
Longa seni vita est, ars cuï verò breuis.

181. Metus in Constantiam.

Vnica nata patris Monialis noluit esse,
Esse quòd in noctis tempore sola timet.

182. Superbiæ genus.

Conuiuas ipsi nos fecimus esse superbos:
Elati nostrâ non abiêre domo.

183. Non communis sensus.

Nostra tecta domûs quereris malè semper olere,
Hoc nos conquerimur te veniente domum.

184. Γ & Π.

Os homini sublime dedit cælumq; tueri:
Ad Γamma & Πi fur accipit hac literam.

185. Demonstratio.

Nil habeas habeasne aliquid dubitare solemus,
Si quid habebo à te, tunc & habere probo.

186. Abbas C. villarum.

Accipiet centum, villam qui deserit vnam,
In vita hoc Abbas Tiniecensis habet.

187. Iusta.

Iustus per vnum septies diem cadit,
At quoties, numerum non lego, Iusta cadit.

188. Epicedium.

Defunctum luges? satis est: pro tempore serua
Has lachrymas, alter quando maritus erit.

189. Ira pro Gula.

Tu quarti bibis autumni, mihi molle propinas
Pecco irâ, qui non pecco bibendo gulâ.

190. Ex Scriptura.

Luter adulterium suadens ita dixit amicæ
Incipit à Genesi lex vetus atq; noua.

191. Digna typis.

Ora typis furum communi more notantur,
Est tua in hoc sensu concio digna typis.

192. Dictionarium Nouum.

Dimidium mittis post tot mendacia, quonam
Nescio promittis tempore dimidium.
Dimidium mittes? da propria nomina rebus:
Dimidium, Totum tempora vestra vocant.

193. Tempus consumere.

Tertia dilapsa est ad mensam temporis hora,
Et gula, quod credas hæc fuit absq; gula.
Non vt sumamus tua fercula, pauca dedisti:
Vt consumamus tempus inepte rogas.

194. Aura, Aurum.

Plurali numero meliùs quis diceret Aurum,
Diues namq; suas Aura vocaret opes.

195. Canon Scripturæ Lutheri.

In canone Hebræo non est Sapientia dicis:
Hebræum Canonem do caput esse tuum.

196. Quintus sensus.

Sunt dominis quatuor sensus: audire rogantes
Non possunt: quintus sensus abest dominis.

197. Integra ægra.

Integritate suæ pro coniugis argumentum
Integra, vir simplex hoc dedit, ægra fuit.

198. Veritas Caluin.

In Missa Christi carnem negat esse realem,
Vxor ei sola est veraq; req; caro.

199. Aurum, Aruum.

Fert Hispano aurum Brasilia & India duplex,
Aurum fert aruum rustice gnaue tibi.

200. Medicus.

In capitis cura toto non proficit anno,
Non caput ægroti curat at ille manus.

201. Epitaphium.

Vltimus hîc generis, sterilis cum coniuge vixit,
Eius apud Gallos omne require genus.

202. Dextra, Sinistra.

Non irascar ego dextram des siue sinistram,
Quæ mihi dat dextra est, quæq; sinistra negat.

203. Non inuidus.

Iudicium, linguam, ingenium vulgare genusq;,
Vulgarem tantùm non habet inuidiam.

204. Ars, Mars.

Mars quatuor literis, tribus Ars coàlescit in vnum,
Ars citiùs quàm Mars sæpe resoluit opus.

205. Versus Spondæus.

Nonnulli scribunt libros versu spondæo,
Res in eis videas Carmine pentametro.

206. Se-

206. Securitas Proiect.

Istis non metuo Crucem libellis,
Quam crudus calamo seueriore
Censor nescio quis potest minari,
Me qui sum malus & vocor Pòëta
Damnatoria funeret litura?
Nil securius est malo Pòëta.
Illius timeant malum labores,
Quos quauis legit atq; laudat aula,
Illis triste veru procaxq; delta,
Vaticanus & incubabit Index,
Nil intutius est bono Pòëta:
Nil securius est malo Pòëta.

I. V. PROIECTA.

LIBER II.

1. Libellus.

Censor Apostolicus, Censor qui ex Ordine talis
Dicitur, & Censor Regius este procul.
Librorum rigidi censores atq́; Catones,
Vestra libros poscit cura, libellus hic est.

2. Barbarus, Barbara.

Dummodò sit diues placet ipse & barbarus: adde
Dum modò sit diues Barbara, & illa placet.

3. Lex, exlex.

Nil contra Legem noster rapit omnia miles,
Si consuetudo dicitur altera lex.

4. Contradictio salua.

Verificata duo contradictoria in vna
Mutus hic illa loquax fœmina virq; domo.

5. Ex bono malè.

Ex vino malè sæpe vales & vina reprêndis,
Tu mala fecisti vina bibendo benè.

6. Rarum, carum.

Quod rarum carum: vxori vt sis carus & illa
Sit tibi, sis rarus rara sit illa domi.

7. Verus homo.

Omnis homo mendax: hominem te hinc aulice noui,
Hoc argumento verus haberis homo.

8. Somnus, Sum Nos.

Syllaba cælibibus prima est accommoda Somni,
Altera pluralis dictio coniugibus.

9. Vxor.

O mea lux! vxor sic compellatur amanti:
Hoc vocat vxorem nomine cæcus amor.

10. In peccatum & lutum.

Labi in peccatum qui peccat dicitur: vnus
Labitur in peccatum ebrius atq; lutum.

11. Auarus.

Contentam paucis naturam dicimus esse,
Hoc de natura fallit auare tua.

12. Raræ virtutis.

Rarus es in templo, rarò licet oret egenus,
Vix aliquot tremulâ proijcis ara manu:
Esto domi maneas rarò te repperit hospes,
Raræ virtutis ergo vocaris homo.

13. Ornatus.

Annulus in digito: ornatè sic dicis agisq́,
Iudicio ornatus dicis agisq́ meo.

14. Ouen.

Qui sapis Oueni ne circumcide libellos,
Hoc ad Iudæos pertinet officium.

15. Res magna.

Litigiosa tibi est vxor, deformis & ægra,
Rem magnam præstas aulice si bonus es.

16. Imberbis.

An socij, tua sitnè magis dic turpis egestas?
Nil habet in barba, tu nihil in capite.

17. Fallacia dicti.

Proponis nil verò probas: at fallere quenquam,
Sæpe vetas: cur nos decipis ipse prior?

18. Epitaphium.

Quis iacet hîc? orbi calices & pocula flete,
Affinis vestra hîc amphora rupta iacet.

19. Orator sui temporis.

Ad mensam laudat dominum, mensisq́ remotis
Conticet: orator temporis ille sui est.

20. Genethliacon.

Sex habuit proles: duxisti, quattuor addis:
Inuentis non est addere difficile.

21. Insomnes.

Nocte bibêre iacentq́; die: excusatio prompta est,
Non illis potuit nocte venire sopor.

22. Pòëta diues.

Non egeo: quanquam cognata Pòësis egestas:
Tu qui nulla mihi præmia soluis, eges.

23. Ancilla.

Sit cælebs veluti sine patre & stirpe Sacerdos,
Ancillas isto ponite sub numero.

24. Similitudo claudicat.

Est vxor simile auxilium concessa marito,
Claudicat hoc, vxor deficit atq́; tua.

25. Oculista.

Curauit medicus vicini lumina cæci,
Vidit: vt hic vidit, vidit in æde nihil.

26. Barba.

Solius capitis numerari disco capillos,
In nulla barbæ sorte capillus erit.

27. Epithalamium, O mea lux.

Excæcat multos vxorum forma maritos,
Non mea lux illis dicite, sed mea nox.

28. Bacchius. -ᴗ-

Longum pectus habes tumidumq́; à pectore ventrem,
Longos inde pedes: pes nisi Bacchius es.

29. Horoscopus.

Amphora credo fuit signum quo natus es olim,
Amphora tam crebrò cùm sit in ore tibi.

30. Ouenus.

Castrari metuis, plus vis generare librorum,
Sed Sanctos inter non potes esse Patres.

31. Minister, In restim.

Mentiris: dictum de te fuit ante Minister,
In restim meliùs verse minister abi.

32. Lublini.

Egit Lublini causam prolisq; suamq;:
Causam lucrata est prolis agendo suam.

33. Carum non rarum.

Quod rarum carum: cùm fœmina rara pudica est,
Quæ non rara tamen fœmina, cara proco.

34. Epitaphia.

Pinguntur flexisse pedes iunxisse manusq;,
Qui saliêre pedes, quæ rapuêre manus.
Junge manus & flecte pedes dum viuis & oras,
Ne nos post mortem fallat imago tua

35. Grauitatis centrum.

Quæ mutant centrum grauitatis, vtrinq; tremiscunt:
Hoc centrum mutat ebrius, inde tremit.

36. Breuis.

Hæc tua laus est esse breuem, nam quod breue rectum est,
Omnis quæ breuior linea, rectior est.

37. Si dem, vides.

Lusce vide quid agas? istud tibi dixero frustra:
Lusce vide quid dem? tunc benè lusce vides.

38. Manu tenere.

Promittis? nil te memori inquis mente tenere,
Nil in mente tenes omnia verò manu.

39. Per saltum.

Presbyteris saltare nefas: promotio in altum
Per saltum multos adiuuat, atq; licet.

40. Filij Adam.

Pelliceis tunicis sua frigora Sarmata pellit,
Hoc habitu ex Adam se probat esse patre.

41. Dic.

Quidquid ego dixi, tibi contradicere promptum est,
Vt contradicam tu quoq; dic aliquid.

42. Epithalamium.

Bis puer est quicunq; senex: Victoria gaude
Nupta seni, puerum vix modò nupta geris.

43. Aures in manu.

Causidicum surdaster agit, ne crede querenti,
Si non aure audit, audiet ille manu.

44. Futurum infiniti modi.

Nunc nil das, olim promittis fortè daturum:
Ergo tibi grates non ago nunc, sed agam.

45. Zelotypus.

Dicta est Cara vxor quia claudi debeat Arcâ,

Auarus.

Dicta Arca est domino sit quia Cara suo.

46. Nubes nubes.

Olim cùm nubes, nubes eris atra marito,
In caput inde viri fulmina quanta ruent.

47. Dissolutæ scopæ.

Fastidita mihi non est oratio vestra,
Illius quæuis pars noua semper erat.

48. Melanchton, Swartz erder.

Teutonicum Græco permutas nomine nomen,
Seu Teuto seu es Græcus, vbiq; niger.

49. Scipio senis.

Confirmat senium maior tibi scipio: mortem
Scipio depellet, sed nec vterq; tuam.

50. Sinon Si non.

Astutus veluti Sinon est aulicus omnis:
Is tu Si non es, aulicus esse fuge.

51. Annus, 1674.

Cùm

Cùm pax alta esset, cùm pacatißimus orbis,
Et bellum generis tunc neutrius erat:
Heu! totus flagrat per bellica iungia mundus,
Nunc bellum generis prô dolor! omnis erit.

52. Pro decimis Oueni.

In decimis Clerum vxores mentiris habere:
In primis illas Beza Luterq; habuit.

53. Inexpectatus.

Grandia proponit nil Confirmatio ponit,
Spem supra nostram dicere id ille putat.

54. Minister verbi.

Dignum te verbi celebremq; agnosco ministrum,
Verbi: nulla quidem sunt bona facta tibi.

55. Melanchton.

Germana fuerat fidei Swartz ante Philippus,
Postea se in Græcam transtulit ipse fidem.

56. Epitaphium Iudæ.

Assueuit Iudas loculorum colla ligare,
Vsu contracto propria colla ligat.

57. Annus, Anus.

Vix absumpta tuis est vnica littera ab annis,
Longus quidnam vos efficit Annus? anus.

58. Claudus.

Qui

Qui multùm est nequam, bipedum nequißimus audit,
Non claudo sermo congruit iste tibi.

59. Innocentes.

Adam peccauit comedendo, haut verò bibendo:
Vos culpa istius non reor esse reos.

60. Fac- iam.

Ingrata est faciam quam iungis vt audio vocem,
In geminas voces diuide, fac citò iam.

61. Continens.

Rectè nomine continendis audis,
Arcâ plurima contines & aluo.

62. A Sancto N.

A Sancto nomen quo ducis nescio: patrem,
Quis canonizauit nescio Papa tuum.

63. Deformes.

Non vxor non tu specie distingueris vllâ,
Est vxor species infima & infima tu.

64. Podagricus.

Non possum ad vinum podagrâ prohibente venire,
Vinum ad me podagrâ non prohibente veni.

65. Epitaphium.

Vixit apud Gallos Gallorum more Polonus,
Dum redit in patriam noscitur esse capo.

66. Maleficium, Beneficium.

Ecclesiarum sumptibus diues, malè
Viuit Lucullus presbyter.
Et ille Sacrum dicit hoc Beneficium:
Maleficium tu dixeris.

67. Hospes accidens.

Contingens quod abesse potest & adesse vocamus,
Contingens hospes sit mihi tale domi.

68. Entia Mobilia.

Noctes atq; dies saltatis agendo choreas,
Entia vos possum dicere Mobilia.

69. Stoliditas.

In foueam lapsus iuuenis: frustra omnibus actis,
Non abeo hinc, ait, & aduoco fuste domum?

70. Par pari.

Serò dedi grates serò mihi dona dedisti,
Verba nego donis inferiora tuis.

71. Epithalamicon.

Hæc tibi conueniat semper soliq; nec omni,
Vxor sit tali Proprium honesta modo.

72. Debita liquida.

Quæ siccando scyphos contraxistiq; bibendo,
Debita sicca vocem nescio num liquida.

73. Fra-

73. Frater ex M. Gersone.

Ob charitatem quispiam Fratrum Dei,
Rogatus ad mensam fuit.
Læto natabat lucius mersus croco,
Potusq́, perca Saccaro.
Nigro sepulti carpiones iusculo,
Limax oliuâ conditus,
Solenne quidquid coxerat ieiunium
Et hospitalis gratia.
Vorabat alacer, vt saburrâ iam graue
Vtrinq́, nutaret latus.
Vix aliqua oryzæ pars relicta liberis,
Nonnulla vênit coniugi.
Surgitq́, plenus: hactenus igitur Dei,
Comêdit inquit Charitas:
Cui hospes: i nunc Frater at tecum caue
Huc charitatem duxeris.

74. Indigenatus.

Indigenas inter nostri te censeo Regni,
A verbo indigeo si venit indigena.

75. Regius Sacellanus.

Esse Sacellanum Regis te credimus inde,
Quòd nunquam populus te celebrare videt.

76. Naribus non maribus.

Non possunt oculis marium pleraq; placere;
Pigmenta assumunt naribus vt placeant.

77. Microcosmos, Macrocosmos.

Est Micro-cosmos homo, de macris dicere verum:
Longus es & pinguis tu Macrocosmos eris.

78. Catholica Oueni.

Vos pracepta decem seruari posse negatis:
Vxores & vos sic puto Catholicos.

79. Odores.

Fingis, mox inflas peregrino corpus odore,
Forma quid est vultûs? fabula & aura tua.

80. Fides coniugalis.

Est obscura fides, non scit sed credit: an vxor
Scire quidem haut poteris sit proba, crede tamen.

81. Diues & pauper.

Pauper & & diues moriuntur dispare causâ
Quòd malè diues habet, quòd benè pauper habet.

82. Tres infideles. Salust. *

** Nulla fides misero. Historicis & nulla Pòétis:*
Tres, Miser, Historicus, lege Pòéta pari.

83. Aulica veritas.

Ebrius atq; puer dicuntur dicere verum:
Aulice cùm dicis sobrius atq; vir es.

84. D. Su-

84. D. Susanna. Opus Rub.

Vischeria blandam pingis Rubense Susannam,
Insontem stupri hoc ore fuisse nego.

85. ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν, ἀποθνήσκειν. *Æsop.*

Æger erat diues dominus, medicusq; vocatur
Qui blandiretur: namq; ita iussus erat.
Ardebat? benè habet rigidis, dicebat, hic ardor.
Frigebat? calidis hoc benè frigus habet.
Sudabat? benè habet plenis hic corpore sudor
Languebat? firmis hic benè languor habet.
Iam moriebatur: famulo se fortè roganti,
Heu habui morior quòd benè semper, ait.

86. Aurum valet.

Aurum ad multa Valet: reus est? scelus Eluat omne.
Turpe genus? Velat. vilis? honore Leuat.

87. Volumina.

Compilas veteres in multa volumina libros,
Non aliena velim scripta videre tua.

88. Apollo & Musæ.

Vnus Apollo, nouem Musæ luduntq; canuntq;,
Ad lusum & cantum pronior est mulier.

89. Media via.

Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare,
Quod petimus non dat, non tamen aula negat

Au-

Aula tenet medium: Medium tenuêre beati,
Hoc aulæ medio nemo beatus erit.

90. Purgatorium Oueni.

Ducit ad infernum cunctos: benè dicis Ouene
Quòd purgatiuo liberet igne Luter.

91. A malis.

Sed libera nos à malo,
Oret futura coniux.
Sed libera nos à mala,
Coniux futurus oret.

92. Geometræ.

Iam villas noster iam circuit oppida miles:
Multùm militia est nostra perita loci.

93. Clancularia religio.

Ipse Deus nouit Patrem cùm absconditus oras:
In templo orantem quod scio nemo videt.

94. Consanguinea.

Hanc consanguineam dicis bone Presbyter: estq́;
Vicino nimiùm sanguine iuncta tibi.

95. Vina pedestria.

Virgilius quondam cecinit, Timor addidit alas:
Addunt vina pedes, quod Maro non cecinit.
Noster manè bipes esset dum siccus abiuit,
Idem iam quadrupes vespere potus adest.

96. Vecturæ aulicæ.

Vicini vxorem vehit aulicus ipse: marite
Nosti quo pretio? hunc qui vehit, illa vehet.

97. Inuidia.

Nil sub sole nouum, nec ais his esse libellis,
Credo, nec inuidia est hæc tua in orbe noua.

98. Ars illiberalis.

Tres & quattuor esse Liberales,
Vos Artes Academiæ docetis:
Quam rarus numero beatus isto,
Vestras discipulus relinquit horas?
Post annos aliquot meus nec vnam,
Artem rettulit inde liberalem.

99. Per vænit vênit.

Nobilitas numero superaucta Polonica, gaudet
Et vestrî vestro sed magis è numero.

100. Erasmus, Sum Eras.

Sum de me poteram dum vixi dicere præsens:
Præteritum lector iam modò dicat, Eras.

101. Confessarius. ex D. Roberto Sorbon.

Potator simili sua cùm peccata referret
Presbytero, pretium num dedit ille rogat?
Ille inquit solui: dic ergo Pater noster bis,
Si non soluisses hoc graue crimen erat.

102. Epitaphium.

Chmielnicius iacet hîc: dignus fuit aëre & igne
Dignus aquâ: indignus te pia terra fuit.

103. Valerius, Aurelius.

Esse Valerius exoptas, Aurelius esto.

104. Munus Lesneń: A. H.

Effigiem Christi donas Hartmanne Poëtæ,
Hunc Mæcenatem semper habebo meum.

105. Papa, Abba.

Abba Pater Deus est sursum: iam verò deorsum
In terris verso grammate Papa pater.

106. Tribunalis terminus.

Proxima Francisco lux Lublinense tribunal,
Claudit: Franciscus pauper inopsq; fuit.

107. IV. Octobr. Petric.

Pandit Franciscus Petricouiense tribunal
Hîc non nemo velut ille relinquet opes.

108. Lusitanus orbis.

Omnia dicantur benè Lusitania regna,
Omnibus in regnis lusit vbiq; Deus.

109. A Memori, Memoria. Andr:Kanon.

Rhetoricæ quinas didici te Rhetore partes,
Nunc grata à Memori quæ venit, vna manet.

110. Iudas.

Adstrinxit collum ne spiritus iret in astra,
Iuit ad infernum proximiore viâ.

111. Prodigiosa.

Ornata incedis multisq́; in pectore gemmis,
Prodigiosa coli sicut imago velis.

112. Epitaphium.

Hîc iacet à primis qui nunquam sobrius annis,
Ebrius in vita sed fuit ille semel.

113. Dormire.

Est dormire scelus cum non vxore nefandum,
Et par peccatum qui vigilauit habet.

114. Auarus adulter.

Non sua quærit amans: aliena tibi vxor & aurum,
Quæritur atq́; placet, non sua quærit amans.

115. Hic hæc Sacerdos.

Hic hæc Lutero constructio recta Sacerdos,
Grammatice Sacrum destruit ista genus.

116. Modestia.

Non altum sapias excelsaq́; nomina poscas:
Affirmant Physici: quod petit alta, leue est.

117. Vigiliæ.

Saltas cum sponsa noctes: assuescere vis hanc,
Vt vigilet noctes, dormiat illa dies.

118. Verax.

Omnes te dicunt nil te tu dicis habere,
Credo tibi: illorum nemo habet unde probet.

119. Testis Lublin.

Prodere dulce merum verum, quia sciuerat olim:
Diceret ut verum, traxit abundè merum.

120. Profana, non sacra.

Sacras carminibus personas tangere dicor:
Non sacra, carminibus tango profana meis.

121. Vitro & auro.

Tu bibis ex auro nos vitro: suspicor auro
Esse bonum: bona quòd esse tegenda sciam.

122. Aurea Mediocritas.

Quînam habeam non quære, habeam quid quære: deesse
Auream dicam Mediocritatem.

123. Comitia soluta.

Soluit clamosâ nuper qui voce Senatum,
Fortiùs vt biberet vociferâsse putant.

124. De Obseruantia.

Seruas omnia claue: strictioris
Obseruantiæ es ordinem professus.

125. Solatium.

Si piper inuoluant obolare epigrammata nostra,
Non indignor, erunt sic piperata magis.

126. Familia.

Hoc age quod dominus iubeo, neq; multa loquare.
Nam conduco tuas, non tua verba, manus.

127. Amphibium aulæ.

Et mensâ & cellâ viuis infraq; supraq;:
Non terrestre animal fortè sed amphibium es.

128. In filo.

Non loquor in filo dicis: patiorq; reprêndi,
Indigeant filo si mea, fune tua.

129. Auctior editio.

Ante macer fueras modò bellus & vndiq; pinguis,
Tu dici poßis auctior editio.

130. Castis auribus

Surda tibi est vxor, castis est auribus: atqui
Non audire potest surda, videre potest.

131. Prouentus.

Accepto magnum retulisti ex vulnere fructum,
Centum florenos pars tibi læsa tulit:
Ex cute prouentum bis terq; quaterq; quotannis
Hunc capis: iste tibi solus aratur ager.

132. Comitia.

Domum petebat Nuntius Varsauiâ,
Scissâ tumultu Curiâ.

Occurrit illi, vina qui veteris cadi,
Se vehere in vrbem diceret:
Consilia rursus ait erunt: dicto hoc redit,
A milliari septimo.

133. Confesſio auricularis.

Abscondi benè facta docet scriptura tegiq;,
Abscondi nunquam quæ malè facta, docet.

134. Vrit ruit.

Aruinam qui incendit amor conditq; ruinam,
Inferni flammis vrit, amorq; ruit.

135. Sine pedibus fortunam esse. *Curt.*

Fortunam veteres pedibus sensêre carentem,
Fortuna ad nullos ipsa venire potest.

136. Apodes, diuites.

Non fortuna pedes habet, olim Curtius inquit:
Scit fortunatus flectere nemo pedes.

137. In medio vitium.

In medio est virtus: medium tibi venter, & illo
In medio haut virtus est tibi, sed vitium.

138. Magnanimi proprium otiosum esse. *Arist.*

Propria magnanimis est otia ducere virtus:
Est te magnanimus nemo Polone magis.

139. Satis, Sit as.

Quantum cuiq́; satis, puto decîdisse Latinos:
Quo tectus viuas, As tibi Sit, Satis est.

140. Euryalus & Lucretia. *Æn: Syluij.*

Euryalus fallit, tectumq́; Lucretia nomen,
Didonem Æneæ credo fuisse suam.

141. Sphæra ignis.

In terra cùm sis ignem super àëra sentis,
Accenso sentit quem nisi quisq́; foco.

142. Stultitia.

Mortuus Aulus erat: non credo dixit amicus,
Hoc quoq́; scripsisset quod solet ille mihi.

143. Romipeta.

Orbis Roma caput: Romam cum lite petiuit,
Et caput ille suum non habet, Orbîs habet.

144. Medicus, Decimus.

Esto Deus Materq́; Dei, custosq́; beatus,
Nec non Diuorum ritè vocatus honor:
Presbyter, vxor, Amans, patientia læta, diæta,
Ista nouem infirmo: sit Decimus Medicus.

145. Signum letale fimbriarum cura. *Plin.*

Caius ait, signum est leti cui fimbria curæ:
Galle time, curæ est fimbria multa tibi.

146. Sustine & Abstine.

Lex Rusticorum, Sustine:
Lex Militaris, Abstine:
Lex Coniugalis, Sustine:
Lex Clericatûs, Abstine.

147. Luscus miles.

Quòd careas oculo nullum tibi dedecus inde:
Hostem tangentis gestus hic est oculi.

148. Negotia Europæ.

Italus ædificat, vendis Germane, Britannus
Nauigat, Hollandus mœnia cingit aquis,
Hispanus scribit, custodiat Heluetius aulas,
Danus piscatur, Noruegiusq́ mari:
Gallus sartores inquirit, equosq́ Polonus,
Belgica sculpit, agis callide Suece Scytham.

149. Demosthenis.

Sunt geminæ nobis aures, est vnica lingua:
Plus audi duplo, vixq́ loquare semel.

150. Catonis.

Quisquis eundo manus miles mouet, haut bonus hic est,
Pugnandoq́ pedes qui mouet, ille malus.

151. Discipuli culpa Magister.

Si peccat dicendo puer taceatq́ Magister,
Non est dicentis culpa, tacentis erit.

152. Sanum, Manus.

Dicunt quòd manibus noster Iurista labores:
Declarat Sanum te Manus esse tua.

153. Podolia.

Praeceptum est, hîc comma facit Podolia, quintum
Non occidunto: quattuor ergo licet?

154. Versus, Seruus. Patrono S. Morstin, Th. R.

Seruus habet versusq́; pedes quos flectit vterq́;:
Nullius seruus sim, tibi versus erit.

155. Nec vlli fortunæ minùs benè quàm optimæ creditur. *Sen.*

Vis benè fortunæ tuæ credere: noueris illi
Non benè fortunæ quæ optima, credere te.

156. Comes.

Iactas te comitem comitum quoq́; de grege: credo
Sed praecedentes qui comitantur heros.

157. Voces, Vars.

Est tibi vox extraq́; tonum numerosq́; rogata:
Vt taceas, Regni postulat harmonia.

158. Ducere.

Ducere & vxorem & vitam dixêre Latini:
Vt sit cara vxor, quàm sua vita viro.

159. ἔρις, & ἔρως.

Semper

Semper tendit amor ſemper contendit amorq;:
In quo flagrat ἔρως pectore, flagrat ἔρις. *

* *Amor. Lis.*

160. Ars longa, vita breuis.

Ars longa eſt ſed vita breuis quæ parturit artem:
Matrem progenies enecat iſta ſuam.

161. Lactea via Romam. *Aſtronom.*

Eſt iter hâc Romam quà nos via lactea ducit:
Hoc orbis mater Roma nutrixq́; loco eſt.

162. Nulla fides miſeris. *Saluſt.*

Nulla fides miſeris: heus Criſpe adiunge, nec vlla
Eſt fortunatis diuitibusq; fides.

163. Coſmi Medices.

Donandum legimus ſi quid peccauerit hoſtis:
Nec legimus, ſi quid peccet amicus, idem.

164. Amadæi Sabaudi D.

Per miſeros cælum venor: venatio felix:
Cui pauper canis, vrbs ſyluula, præda Deus.

165. Rudolphi I. Auſtr.

Vult regnare omnis: ſapientem regna requirunt:
Quiuis verò loco ſe ſapientis habet.

166. Th. Mori.

Vxorem paruam duxit Morus, & ſapienter
Sumendum dixit, quod minus eſſe malum. 167. Vi-

167. Videatur. N. Machiau.

Cuî ſat; ſi princeps tantùm pius eſſe videtur,
Hûic ſatis & princeps vt videatur erit.

168. Pauperibus cælum venor.

Iſta piè Princeps. noſtris ita vilia cælum
Et pauper dominis, quàm lepus atq; canis.

169. Ferd. II. Auſtr.

Non curo Hiſtoricum quid ſcribat, fallitur ille:
Curo ſcriptorem, haut fallitur iſte, Deum.

170. Mater Ioann. Auſtriaci.

Qui ſine Patre eſſet, ſcribebant Spurius, e S Pe:
Auſtriacum Caroli tu Strada ſcribis, eS e M.

171. Ludouici XI. Gall.

Plebe vorax miles, dæmon ſe milite paſcit:
Plebe nec ille ſatur, milite non ſatur hic.

172. Martialis.

Is cui nemo placet miſer eſt ſub iudice Marco:
Iudice me, nulli qui placet, ille miſer.

173. Venenum in auro bibitur. *Sen.*

Non auro ſolùm, bibitur vitroq; venenum:
Perdidit hoc patrias dum bibit Aulus opes.

174. Malè parta.

Quæ malè parta vocant, benè dic è paupere rapta:
Partus fortunæ è paupere, Raptus erit. D Py-

175. Pygmæus & Gigas. I. Balde.

Vincitur & vincit tibi Pygmæusq́; Gigasq́;,
Est tamen ingenio victor vterq́; tuo.

176. Milit. Vnio. 1664. Noui.

Dum nubunt vester Mars atq; licentia secum,
Vnio nescio quid parturit ista Noui.

177. Perfrictæ frontis.

Tersa tibi frons est, oleo velut vncta videtur:
Non sum diuinus, sed puto sæpe teris.

178. Fœderata Taurica.

Tartarus hoc differt & tartarus: ille Polonos
Deuorat, omnigenos deuorat iste malos.

179. Porta, Rapto, Parto.

Regia quæ nobis, Otomanis Porta vocatur:
Quòd Rapto Parto, Porta vocata, viget.

180. Podagrico-chiragricus.

Falsa Pòëtarum sileant miracula vates,
Centipedemq́; premant centimanumq́; Gygen.
Fabula vicinus non est: tot vina dedêre
Podagricoq́; pedes chiragricoq́; manus.

181. Pasio aurium.

Læsâ voce canis, quæ vox tibi soluitur auro:
Ne cantes potiùs soluitor hoc pretium.

182. Morbos quos manu fecimus. *Sen.*

Quinam Annae manu morbi quos fecimus hi sunt?
Quos puto podagricus vina ferendo facit.

183. Correctio.

Intactum & purum mihi carmen amice remittis:
A te deletum mundius illud abit.

184. Indigenatus.

Indigeat si te dominus, te hoc tempore nouit:
Non nouit quando tu domino indigeas.

185. Si.

Esses si diues promittis multa daturum,
Ipse tibi hâc vellem conditione dare.

186. Seruus, Versus.

Quo nostrum vlciscar non adsit seruus honorem:
Vlciscar quo nos, heus caue, versus erit.

187. Post oscula pedum.

Papa tuum Caput est ô Christi Ecclesia: quare
Oscula non capiti figimus at pedibus?

Responsio.

Oscula dum pedibus figimus, & Capiti.

188. Aulus Gellius.

Est de Romanis tibi crebra oratio scortis,
Romanas loqueris stansq́ue sedensq́ue lupas.

Hanc êmit multoq; salax Hispanus amauit,
Hanc tali mollis Italus arte tulit.
Describis formas & verba refingis amantûm,
Et quidquid fraudum dat patiturq; Venus.
Ore frequens Marcella tuo, Blandilla, Rosella,
Os quasi Romanum Gelle lupanar habes.

189. In Gratiam amicorum Rau.

Dum caderet nullum Rauensis turris euntem
Obpreßit: turris multùm oculata fuit.

190. Lapsus turris.

Consulis ante domum prostratæ applaudite turri:
Hanc sibi prospexit longiùs ante locum.

191. Epitaph. Nolæ prætoriæ. Rau.

Quæ prædicebat prætoria Nola tributum,
Hîc iacet: ô requiem dicite Perpetuam.

192. Non-vxor. P.

Laudo quòd vxorem Christi pro nomine linquis,
Et non-vxorem linquere debueras.

193. Miracula.

Nescio quæ fingis nuper miracula facta:
Vnum, credatur quòd tibi, miror ego.

194. Residens.

Perpetuò resides & agis tua tempora in aula,
Hîc vt te iactas plurima causa tenet.

Ire pedes posset, sed non discedet ab aula
Ille pedes: residet? non habet Aulus equos.

195 Numero singulari.

Est vestis, nummus, panisq́, calixq́, liberq́,
Et præter numerum nil tibi ferme deest.

196. Beneficium.

Ecclesiæ nullum beneficium petas,
Contentus ipsis viue beneficijs Dei.

197. Infidelis.

Illudis vacuum toties promissor hiatum,
Promittis, fallis quando trecenta volo:
Tu Variane fidem tibi debes, æs mihi debes,
Æs ego non habeo, tu Variane fidem.

198. Dilectio.

Aulicus vxorem quanquam sit turpis anusq́
Diligit, & verè diligit, astra vouet.

199. Edentula.

Dentes conqueritur sibi cras nuptura dolere,
Vix puto: sed dentes non habet, hocq́ dolet.

200. Epitaphium R. P.

Rusticus hâc tellure iacet tegiturq́ Polonus,
Illi est terra leuis, miles erat grauior.

201. Gratis, non gratis.

Gratis habes vinum, ludos, conuiuia gratis,
Gratis habes famulos, gratis & Aule domum.
Musicus & gratis cantat, cytharaq; lyraq;,
Et saltas gratis, gratia tanta tibi est.
Vestiris, veheris, colerisq; & gratis amaris,
Omnia gratis habes: soluit vbiq; Pater.

202. Prægnans causa.

Prægnantes habuit Lublini pars Rea causas:
Et similes causas rettulit inde domum.

203. Missam audire.

Missam non audis, audit te Missa loquentem,
Est audire tibi forsan idemq; loqui.

204. Ad Regem.

Ad Regem quoties dicis, tunc plurima dicis:
Ad rem tu potiùs dicere pauca velis.

205. Alma Venus, Mala.

Alma Venus castis dicta est aliquando Pòétis:
Moribus euersis quæ fuit Alma, Mala est.

206. Historia sui seculi.

Non scribe historiam, mentiri mitte: Pòéta
Absq; dolo fingit, mentiar Historicus.

207. Epithal. Pigmææ.

Vix geminum superas cubitum iam nubere quæris?
Vir basis vxoris: altior, inquit, ero. 208. In-

208. Incognita.

Ora tegit, vult esse Incognita: id ante puella
Rectè fecisset, nunc anus ora tegit.

209. Consecratio Aulica.

Rex ad quendam equitem medio diuerterat æstu,
Et lasso canibus proxima villa fuit.
Rex comptè accipitur: sed spretis aulica mensis
Festinata sibi prandia turba parat.
Iamq; per armentum iam fit per ouilia cædes,
Quot molles vituli quot cecidistis oues?
Libera gallorum vidit quas area strages?
Hîc anser iacet, hîc pingue cadauer anas.
Tum veteres siccare cados, damnataq; longè
In lucem tacito promere vina specu.
Ad fæcem Vngaricum, ad fæcem Varecia venit,
Altera cella vacat, tertia, quarta vacat.
Surgitur à mensa: Rex consecrauimus ergò
Inquit, here hanc ædem: cui ita subdit herus.
Quòd sua Maiestas hanc consecrauerit aulam,
Priuatiq; larem ciuis, habebo memor:
Sic consecrauit, Sanctißimus ipse vel adsit
Ad consecrandum posset habere nihil.

210. Correctio Lib.

Si qua liberiùs lusisse videtur Apollo,
Emendet censor carmina Liberius.

PROIECTA.

LIBER III.

1. Lectores.

Scribimus indocti doctiq́; poëmata passim
Doctis indoctis scribimus illa simul.
De scriptore velim lectorum nemo queratur
Doctus an indoctus? se prior ipse roget.

2. Spes. Species.

Et spes & species geminas dic esse sorores
Spes alit & fallit, hoc facit & Species.

3. Domine Frater.

Est quoniam fratrum concordia rara, Poloni
Se fratres istâ mente vocare solent.

4. Mihi & Musis.

Scribo mihi & Musis, recito Musisq́; mihiq́;
Et faueo Musis & mihi Musa fauet.

5. Votum.

Misisti carmen pro carmine: semper in aula
Vt carmen scribas opto fauore pari.

6. Fide-lis.

De ſanctâ lis nulla fide, aut ſit rara fidelis,
Inq́; fidem & litem proh! modò ſciſſa fides.

7 Aulicus.

Nil merui, mihi cur non fauerit aulicus? vllam
Non dederam cauſam, ſed quia non dederam.

8. Dominus & ſeruus.

Quid faciat dominum quæris? reſpondeo, ſeruus
Quid ſeruum? dominus: ſed quis vtrumq; ? Deus.

9 Rotæ. 1773.

Credo quod hic campus capitis vertigine peccet,
Conſilium quoniam dicitur omne Rota.

10. In. De. De. In.

Amiſit villam quiſquis vel vendidit illam,
De villa dominum dic abijſſe ſua.
Emit quiſquis & accepit vel poſſidet illam,
In villa dominum dic & ineſſe ſua.

11. Podagricus

Quæ ſit cauſa tui facilè eſt edicere morbi
Ex pateris pateris è dolioq́; doles.

12. Diuortium.

Suſceptis aliquot quærit diuortia gnatis
Non conſenſus, ait, tunc mihi, ſenſus erat.
Res noua legitimi cconiux eſt mæcha mariti,
Et vir legitimus res noua mæchus erit.

13. Annulus

Annulus in digitos sponsorum inducitur : at cur?
Cifram credo valet quòd quasi vester amor.

41. Medicus Gilb.

Omnes reprêndis medicos & despicis omnes
Esse putant omnes te Medicum modicum.

15. Nuntius Terr.

Dum clamant omnes & tu bone Nuntie clamas
Teq; Statûs gnarum Consilijq; putas.
Hoc clamore potest non nemo Nuntius esse,
Audi omnes, post dic, tunc mihi Nuntius es.

16. Varietas.

Exterior simplex, auro nitet intima vestis,
Illam vir, felix hanc tibi mæchus emit.

17. Paucis contentus.

Sit semotior vrbe villa nobis
Sit templum & propior domo sacerdos
Sit simplex rheda sint equiq; bini,
Sint auriga, puer, domusq; & hortus,
Sit velox cocus ebriusq; nunquam
Sit quarti memor vua torcularis
Purus furfure triticoq; panis
Sit pinguis capo cereusq; pullus

Sit mensæ comes elegans & alter
Turbam quis velit aut honoris auram
Quis Varsauia te quis Aula poscat?

18. Magna fortuna magna est seruitus. *Sen.*

Fortunæ domini magnæ plebs infima seruit:
Fortunæ dominus seruit at ipse suæ.

19. Multos morbos multa fercula fecerunt. *Sen.*

A multis mala multa cibis generantur & ardent
Vis paucos morbos fercula pauca velis.

20. Innumerabiles esse morbos miraris coquos numera. *Sen.*

Ex multis mala multa cocis morbiq; luesq;
Ex vno quoq; si fercula multa coquat.

21. Diuortij causæ.

Post annos vterosq; octo diuortia poscis
Nupsisse inualidè Virgo metuq; probas:
Veras dic causas Romano iudice coram,
Annos post octo non vir vt ante valet.

22. Medicus Gilb. 1670.

Si Deus & calidis arderent febribus astra
Gilberti peterent, sic ait iste, manum
Hoc non Hippocrates non pellet triste Galenus,
Siue Dioscorides seu Auicenna malum.

Non

Non Arabum plantæ, non Indi graminis herba
Non lachrymæ cerui laponiusq; lapis:
Ni caput elleboro purges Gilberte perîsti
Aut medicus capitis sit Deus ipse tui.

23. Linguosus.

Germanâ loqueris, Gallâ, loquerisq; Latina &
Hispanâ. linguis tot loquerisq; nihil.

24. Causa non causa.

Consensum coram Parocho non præbuit, inquit,
Coniugium validum pernegat esse suum
Non coram Parocho consensum credo dedisse:
Quando aberat Parochus, tunc fuit ille datus.

25 Par pari.

Promittis non das: vis de te carmina scribam?
Promitto: nunquam carmina nostra dabo.

26 Annuli

Sponsa tuus quid sponse tuus notat annulus, ô ô:
Optat sponsa suum sponsus & ipse suam.

27 Vbiquista.

Nobile seu epulum priuataue prandia fiunt
Illo conuiuam te resaluto loco:
Iudicium litesq; calent, tu primus apertas
Seu accusator seu reus ante fores.

Jam Regis conclaue peto pulsoq; modestè
Aulicus in primo stas loquerisq; gradu:
Extremas condit tabulas si diues & æger
Successor primo scriberis esse loco.
Templa, theatra, forum, thalamos, palatia, mensas
Imples, immensum sic quasi Numen ades.
Tu quouis cernêre loco tu sistis vbiq;,
Secula Vbiquistam nostra dedêre nouum.

28. Nulla sine diuortio acta. *Sen.*

Tristia iam prohibe diuortia Roma: maritus
Possit vt vxorem quisq; vocare suam.

29. Nepotari.

Omnia dilapidas, effundis & omnia perdis:
Ipse tibi factus filius, ipse nepos.

30. Plateæ Varsau.

Mergitur ah! populus, sutor deridet anhelos:
Saxa negas quisquis sternere, saxeus es.

31. Argumentum deformitatis pudicitia. *Sen.*

Dicis te castam, vultu, sermone pudicam,
Deformi facie non malè dicta probas.

32. Mala tempora.

Æra dares vati sed sunt mala tempora dicis:
Si nos simus, erunt tempora crede bona.

Nos mala nos facimus bona tempora: falleris ergo
Tu mala non dando, ſed bona dando facis.

33 Subtractio.

Das quinquaginta centum ſed Muſa popoſcit:
Vt centum accipiat Muſa, ducenta petet.

34 Acceptus.

Obloqueris fruſtra, nil reſpondebo: niſi iſtud:
Nil dabo, & vt quidquam det tibi nemo, precor.

35. Officioſi. 1669.

Incenſa eſt miſeris nuper Varſauia flammis
Hoc ex officio Litauus êgit opus
Hoſpes non vnus crudeli eſt vulnere cæſus
Hæc ex officio res quoq; facta fuit:
Limina læſa patent, portæ fractæq; feneſtræ,
Hæc ex officio debuit eſſe nota.
Sordes, damna, neces, & furta & ſtupra, tumultus,
Officium contra quidquid, id officio eſt.
Hæc ex officio licitè ſi cuncta patrantur?
Officium nulla regnat in Vrbe magis.

36 Lechi id eſt maxilla. *Iud. 15.*

Lechi, mandibulam vocitant Hebraïca: Lechi
Nil facimus quàm quòd mandimus & loquimur.

37 In Prædicamento.

Omnis adest iuuenis, omnis dilaudat & aula
Formam Gella tuam Gella pudicitiam.
An formosa quidem tu sis non dico : pudicam
Omnis quam iuuenis laudat & aula, nego

38. Vinosus.

Vina bibunt homines animalia cætera fontes.
Sis quòd homo, tantùm vina bibendo, probas.

39. Causâ nubunt repudij. *Sen.*

Vix denupsit heri. istâ luce repudia quærit,
Pluribus vt posset nubere, nupsit heri.

40. Benignæ Naturæ mater.

Maternæ corrupta domi est enixa puella
Vulgatoq; palàm crimine, mater ait
Quid mirum peperit puerum, quòd filia nostra.
Sed mirum, vitulum si peperisset, erat.

41. Diues futuri seculi.

Diues es : in vita nihilum te dicis habere
Post tua testatus funera, diues eris.

42. Non consulum numero sed maritorum annos suos computant. *Sen.*

Hoc, inquis, primùm nupsi : isto nata marito
Filia, at ex illo filius ortus erat:
Hoc vterùm cœpi tantùm gestare marito,
Hoc iterum geminis reddita mater eram.

Quæ sunt Acta suo numerant sub Consule fasti,
Sic sua quæ sub tot computat Acta Viris.

43. Lutetia Vars.

Jam matutinis inuisere versibus aulam
Est opus : at nobis non licet ire, lutum est.
Scribo domi : tanti testis lux septima tædi
Ad Musam Olsouij non licet ire, lutum est
Claros Morstinij doctosq; intrare penates,
Heu auditorem non licet esse, lutum est :
Quisquis es ædilis procuratorq; viarum
Conduc vectores, aut mihi sterne viam.

44. Trium-viratus

Esse decem-vira vis : primùmq; Trium-vira facta es,
Nam tibi pro numero hoc tertius iste vir est.

45. Problema.

Eligis vxorem prudenter ducere turpem,
Sic soli poterit namq; placere tibi.
Vxorem ducis deformem, non probo : multùm
Perdes vt possit sola placere tibi.

46. Abdicatio.

Aula vale sterilis cassiq; valete fauores
Tempus vti dicam, salue Poëta, mihi.

47. Vidit principatum suum quòd in parte sua doctor esset. *Deut. 23.*

Hæc super Hispanâ mansit benedictio gente.

48. Clamantia peccata.

Peccata in cælum clamantia sunt tot apud nos,
Quotcunq; clamant Nuntij Varsauiæ:

49. Democritus & Heraclitus.

Ride si sapis hæc inepta ride.
Hæc quæ solicito superba gressu
Et cretata leues premit cothurnos
Ex arca placet & nitescit arcâ
Cistam tolle, putremq; tolle moschum,
Sordebit magis & minùs placebit.
At regum thronus & ducum corona
Sunt vel quattuor asseres vel octo
Et vim passa manúsq; malleiq;
Appellata nouo Corona verbo
Luge si sapis hæc superba ride.

50. Aurum quod pendimus munera vocamus. *Saluianus.*

Munera sunt falsò nobis quod pendimus aurum,
Tartarico sed sunt vera tributa Chamo.
Militiæ meliùs date munera consulo vestræ
Ne dare cogamur vera tributa Chamo.

51. Sumptibus Auctoris.

Do lau-

Do laudes quibus es dignus, non imprimo laudes,
Nolo laudare & soluere Typographo.

52. Barbatus pumilio

Dispereat quodcunq; bonum tibi barba videtur
Quæ velut Hercynium territat ora nemus:
Nonne vides meliùs celsa superesse statura
Et non dimidium plebe latère virum?
Proh! quantùm toleras desecti portio patris
Cùm naso vulgi posteriora premis
Te tot solue malis, barbamq; abradito, quæ te
Degrauat ad terram, crescere rasa sinet.

53. Noua & vetera.

Quæ noua tot literis scribis non sunt noua: quæris
Quæ scribas? verum scribe & habebo noua.

54. Lues.

Corpore peccâsti nec habes quo crimina soluas:
Iusto iudicio corpore tanta Lues.

55. Malè locutus.

De nostris loqueris male versibus audio balbe,
Dequè bonis solitus tu malè balbe loqui.

Epicedium.

56. Ludouica Maria Ira claudo viam.

Jratos orat Ludouica Maria Polonos:
Ira tibi Claudo iam Moriendo viam.

57. Abdicatio 1667. 16. Sept.

Crastinus Augustus Rex dicebatur apud nos,
Hesternus nobis Rex Casimirus erit.

58. Scotia.

Trigima occidit feralis Scotia reges,
A Scythia literis Scotia vix quid abest.

59. Patin. Cracou.

Fumus. Fusum. Locus Colus.

Fugisti vt Fumus, Fusum rex munera mittit:
Fæmineas inter cui Locus esto Colus.

60 Tartarorum irruptio.

Cùm Scytha Podoliam vastat securior, & nos
Et brumam accensis ridet vbiq; focis.
Heu intelligimus voces lachrymasq; gementûm,
Smotricij gelidæ queîs caluistis aquæ.
Nemo Scythas contra generoso pectore prodit,
Multi equites estis, nemo Polonus eques.

61. Leges Poloniæ.

Leges Granouius vitæ libros benè dixit:
Hîc reperit vitam, mortis & ipse reus.

62. Deliciæ Scotorum Poët.

Non sunt deliciæ sunt hæc delicta Poësis:
Neglige Scotorum non lege delicias.

63. Gamra-

63. Gamratus Gneſn: Macieiou. Crac.
Omnia ſcire Petrus nil ſe Macieiouius inquit,
Vidit mendaces aula Polona duos.

64. Carolus Britan. R.
Pes, manus, aut oculi peccant, abſcindere fas eſt:
Scripturæ, Regis adijcis, Angle caput.

65. Epitaph. I. Lipſij.
Septenis vicibus iuſtus cadit atque reſurgit:
Iſte ſemel ſurget qui ceciditq; ſemel.

66. Dominicus Baudius.
Dulce merum prodit verum: mendacia ſcribi
Hinc puto quòd ſiccis ſcribitur hiſtoria.
Excipio Dominice tuam: te ſcribere verum
Poſſe puto: es ſemper potus & hiſtoricus.

67. P. O. M.
Pontificis titulum lego, Maximus Optimus: illum
Sin à fine lego: Mors, Cifra, Pulvis erit.

68. Epitaphium P. R.
Quæſiuit Solymam Radiuil Dominiq; ſepulchrum,
Neſueſij Dominus repperit ipſe ſuum.

69. Hiſtoria Noſtri ſeculi.
Ens vnum verumq; bonum eſt: hoc tempore plures
Hiſtorici, falſi ſunt ideoq; mali.

70. Epicedium Marschalli R:

Cùm Rex vult Marsallus eras: Regina volet Mors,
Scipio sarmentum Maresalinus erit.

71. Vaticinium Maronis. *1666.*

Non auro argentoq; stipendia, sumitis ære:
Prædictum fuit hoc, Ære ciere viros.

72. Voces.

Non rem sed Vocem dicturi poscitis: omnis
Conuentus Vox est prætereaq; nihil.

73. Annulus Venetus.

Desponsat Venetus secum mare quolibet anno:
Quàm mare tam dubiâ est omnis amica fide.

74. Admiranda And. Kanon.

Admiranda canis præclaro Lechica versu,
Ingenium hæc inter Lechica pono tuum.

75. Mors Lazari Mozenigo. 1657.

Luscus erat quando vincebat Lazarus: at cùm
Astra petit, moriens vndiq; lumen habet.

76. Eiusdem.

Nil facitis flammæ, petit illustrissimus astra
Has inter fortis Lazarus ille faces.

77. J. Oueni.

Colligo dicebat quidam Enni ex stercore gemmas:
Qui legit Oueni carmina. dicet idem.

78. Euryalus & Lucretia. *Syl. ep. 114.*

At pius Æneas prior est, dedit alter amores:
Æneas nondum tunc Pius iste fuit.

79. Epitaph. Lucretiæ. *Pius II. P.*

Nil iacet hîc: Corpus, famamq́, animamq́, Deumq́,
Viuens cum porco perdidit ante proco.

80. Tres Ordines.

Ordo Sacerdotum, ordo Senatûs, ordo & equestris:
Ordinibus tribus his vnicus ordo deest.

81. Corbiniana Vars.

Non ego docta tuæ par Corbiniana Camænæ,
Tecum sunt Musæ, solus Apollo mihi.

82. H. Grotij Annales.

Hugo Reformatæ fidei sua tempora scribit:
Historicam Hugo in te docte requiro fidem.

83. Britannia oblongæ scutulæ vel bipenni similis. *Tac. Agr.*

Anglia Romanis visa est quasi longa bipennis:
In ceruice tua Carole talis erat.

84. Ego Nolo Florus esse.

Nostra stylo Florus florente Polonicus ornas;
Si legeret Cæsar: Florus hic esse velit.

85. Stoicorum Ciuitas. *Sen.*

Nec

Nec bona sentimus patriæ neq; funera Regni
Nos Stoïcorum Ciuitas.

86. Impedimentum dirimens.

Impar conditio dirimit connubia, honori
Impar est quisquis, non valet eius honor.

87. Suus vsus.

Quod donas, dominus dum viuis es illius auri :
Post mortem heredi iam suus vsus erit.

88. Nobilis præteritus.

Ad proauos atauosq; decus famamq; reducis :
Non quòd es at fueris nobilis, inde probas.

89. Argentum cibus.

Argentiq; cibiqué vsus par : quando necesse est
Ingeritoqué intus egeritoqué foras.

90. Præla Prælia.

Ingenio & libris præsentia secula certant :
Artibus indicunt prælia præla bonis.

91. Vetus vter.

O quoties vinose senex te Musa reprêndit
Cella tua est capulum, tumba popina tua est :
Erras à calo, quoties vestigia mutas
Et calidâ titubat mobile vite caput.
Vis tumulum vitare tuum, totâq; vagaris
Vrbe bibax venter, quo male vina capis:

Parce senex vino, dum seruas destruis illud,
In veteres vinum nemo recondit vtres.

92 Venetiæ.

Ad Venetos rediêre Patres ac Vrbe recepti:
Istud Alexander Maximus êgit opus.

93. Horologium Kochan.

Hora domum tenebræqué vocant: non vltima sacco.
Hora sonat: domini, dum sonat ista, bibent.

84. Vera effigies.

Depingis miniò faciem cretâq; perungis:
Nulla tuî est quàm tu verior effigies.

95. Pascha aulæ.

Jn templo tantùm Paschali tempore standum est:
Stando semper agit Paschatis aula dies.

96. Sacra-profana.

Coniugium sacrum est, copulas hoc ergo nepotes:
Presbyterosqué facis, nam sacer ordo, tuos:
Das confersq; tuis reditus, hos sacra vocamus:
Hæc dum sacra facis, sacra profana facis

97. Breuitas.

Nolo lectori fastidia longa creare:
Fastidit breuiter cùm breue carmen habet.

98. Peccata capitalia.

Sunt peccata breui numero capitalia septem:
Tot capitis, reliqui corporis innumera.

99. Plumatus.

Si te vidisset plumis Plato doctor in istis:
Est Plumatum Animal, sic docuisset, Homo.

100. Vnio.

Debilis Hispanos inter Gallosq; tenetur
Vnio: fœminei est vnio enim generis.

101 Horologium Kochan.

Os aperi soliq; tuos opponito dentes,
Non horarum index certior alter erit:
Nasus enim tuus hic propè qui descendit in ora,
Dentibus ostendet quæ fluat hora tuis.

102. Carpimur.

Carpere Narcissos formosaq; mala solemus:
Et mea carpenti carmina, grata puto.

103. Epitaph. Muscæ.

Credideram melli, melli quasi aculeus absit:
Heu illum infixit mortua Mater apis.

104. Philomela.

Nunc auis est quæ pulchra fuit philomela puella:
Sicut auis, præter-forma libido volat.

105. Ablatiui.

Cur ablatiui toto dominantur in orbe,
Demonstrant casus quinq; priore loco.
Vt paret hic Nomen, Genus alter vt augeat, ille
Vt Det, sed quare nescio siue cui.
Alter vt Accuset litesq; extendat in æuum,
Hic vt in auxilium seruitiumq; Vocet.
His Ablatiui causis quicunq; carebit,
Tunc Ablatiuis ille carere potest.

106. Ter Parcus.

Parcus es argenti, auri parcus, parcus & æris
Tres Parcæ pectus corripuêre tuum.

107. Salua res est.

Erubuit res salua aiunt: si quando puella
Erubuit, vix est integra credite res.

108. Census capitum. 1673.

Et capite & linguâ linguata Polonia peccat:
Det pænas linguæ dum luit & capitis.

109. Prælium Vars. 1659.

Varsauiæ in campis tormenta ostendit & ignes
Esse sibi Suecus, esse Polonus equos.

110. Medicina additio & subtractio. *Hippocr.*

Subtrahit humores, addit Medicina salutem:
Addat, at ex sacco nil trahat illa meo.

111. Nemo in idem flumen bis descendit. *Heracl.*

Nullus idem flumen bis descendisse notatus :
Vos vinum stultè poscitis & ter idem.

112 Plus vltra auari.

Plus πῆρας *Caroli Augusti malus æmulus inquis :*
Credis idem πῆρας *esse, quod est* τὸ πέρας.

113. Vita vigilia est. *Plin.*

Quò plus quis vigilat plus viuit : secula nostra
Plus viuunt, comedunt nocte dieq; bibunt.

114. Pilauecum. 1648.

Non nos Pilaueco sed equi diffugimus, illis
Sedimus, hi fugiunt : nemo sedendo fugit.

115. Epitaphium.

Volski Marscallus iacet hoc & Scipio saxo :
Perpetuus Volski namq; viator erat.

116. Carolus M. Britanniæ R.

Occidit Carolum furiosa Britannia Regem :
Hoc docuit ciues bruta mania suos.

117. Galli ad Iaurinum. 1664.

Cæsaream audaces Galli præiêre volucrem,
Victori Gallo in Laudibus hymnus erit.
Surgamus ergo strenuè
Gallus iacentes excitat
Et somnolentos increpat.

118. Par.

118. **Parcus vt octo.**

Tres olim Parcæ: Parcas modò credimus esse
Octo: Mœcenas parcus vt octo tuus.

119. **Porta Viennen.** *a. e. i. o. u.*

Quinas vocales con-absq; sonantibus audis,
Mundus ad imperium consonat Austriacis.

120. **Absurdum Politicum.**

Principium petere est absurdum grande scholarum,
Ciuile absurdum Principem erit petere.

121. **Dantiscana Fides.** 1659.

Dantisci venerabilem Senatum
In Fide scio perstitisse Regis:
An sit nescio Charitas in illo.

122. **A. E. I. O. V.**

Extra vocales litera aut vox non sonat: vllum
Austriacâ solium non sonat absq; domo.

123. **Leopoldus I. Aug.**

Fient Danubio quæcunq; secunda vehentur,
His primus vehitur cùm Leopoldus aquis.

124. **Ingressus Viennam Leop.**

Docta, frequens, munita, ingens, opulenta Vienna es,
Adueniente nouo Cæsare, Roma vetus.

125. **Cong. de Propag. Fide.**

Lex Rusticorum, Sustine:
Lex Militaris, Abstine:
Lex Coniugalis, Sustine:
Lex Clericatûs, Abstine.

147. Luſcus miles.

Quòd careas oculo nullum tibi dedecus inde:
Hoſtem tangentis geſtus hic eſt oculi.

148. Negotia Europæ.

Italus ædificat, vendis Germane, Britannus
Nauigat, Hollandus mœnia cingit aquis,
Hiſpanus ſcribit, cuſtodiat Heluetus aulas,
Danus piſcatur, Noruegiusq; mari:
Gallus ſartores inquirit, equosq; Polonus,
Belgica ſculpit, agis callide Suece Scytham.

149. Demoſthenis.

Sunt geminæ nobis aures, eſt vnica lingua:
Plus audi duplo, vixq; loquare ſemel.

150. Catonis.

Quisquis eundo manus miles mouet, haut bonus hic eſt,
Pugnandoq; pedes qui mouet, ille malus.

151. Diſcipuli culpa Magiſter.

Si peccat dicendo puer taceatq; Magiſter,
Non eſt dicentis culpa, tacentis erit.

152. Sa-

152. Sanum, Manus.

Dicunt quòd manibus noster Iurista labores:
Declarat Sanum te Manus esse tua.

153. Podolia.

Praceptum est, hîc comma facit Podolia, quintum
Non occidunto: quattuor ergo licet?

154. Versus, Seruus. Patrono S. Morstin, Th. R.

Seruus habet versusq; pedes quos flectit vterq;:
Nullius seruus sim, tibi versus erit.

155. Nec vlli fortunæ minùs benè quàm optimæ creditur. *Sen.*

Vis benè fortunæ tua credere: noueris illi
Non benè fortunæ quæ optima, credere te.

156. Comes.

Jactas te comitem comitum quoq; de grege: credo
Sed præcedentes qui comitantur heros.

157. Voces, Vars.

Est tibi vox extraq; tonum numerosq; rogata:
Vt taceas, Regni postulat harmonia.

158. Ducere.

Ducere & vxorem & vitam dixêre Latini:
Vt sit cara vxor, quàm sua vita viro.

159. ἔρις, & ἔρως.

Semper

140. Humores IV. Europ.

Hispanus nigrâ bile peccat: sanguine Gallus,
Anglus alit choleram, phlegma Polonus habet.

141 Vna caro.

Coniugio satis vna caro: modò quæritur aurum
Formaqué, & hinc vni non satis vna caro.

142. Venus Hesperus.

O Veneri quicunq; tuos insumis amores,
Respicias finem; quæ Venus Hesperus est.

143. Syluæ Statij & Balde.

Papinius cecinit Syluas & Balde: nec iste.
Siluestris vates, ille nec alter erat.

144. Ærea moneta.

Diuitijs caruit vitijsq; Polonia quondam:
Diuitijsq; caret iam modò non vitijs.

145. Gula seculi. *Plut.*

Pauca bibunt quando sitiunt, maioribus autem
Mirum! cessârunt quando sitire, bibunt.

146. V. C.

His literis V. C. lege Vir Clarissimus: atqué
Vnus pro Centum Ciuibus iste Valet.

147. Non omnia.

Heraclitus fleuit Democritus omnia risit:
Hic ridendus erat, flendus & alter erat.

148. Septem peccata Europæ.

Jn ſcena ſeptem capitalia crimina nuper,
Europæ vultu dramma dedêre ſuum.
Hiſpanus nulli inclinata Superbia vênit,
Cui Anglus lateri proximus Ira ſtetit,
Luxuria eſt Gallo data, Acedia ſumpta Polono,
Inuidiam obliquo rettulit ore Suecus.
Cautus Auaritiam tacitâ dedit Italus arte,
Germanus madido prodijt ore Gula.
Dæmonijs totidem vacuata eſt Magdala preſſa
Hos nemo Europâ dæmonas eijciet.

149. Lyrica Amici.

Carmina poſteriùs tua ſunt, priùs edidit alter:
Ille poëta priùs, metra priora tua.

150. Henrici IV. Borb.

Rex caruit regno, dux auro, vxore maritus:
Et regno atq; auro & coniuge dignus erat.

151 Ataxia. 1666.

Ordo anima eſt rerum, quo viuunt omnia: noſtra
Publica corpus habet Res, animâq; caret.

152. Ad Viſtulam.

Eſt eadem Thebis via Athenas, vnaq; Thebas.
Suecus vênit aquis, atque reuerſus aquis.

153. Leo Sue. Aquila Pol. 1659.

Est regina Aquila, est Leo rex, verùm iste recedit:
Est animal Cybeles iste, sed illa Iouis.

154. Iouius.

Historiam falsò Iouius cur scripserit, inquit:
Annos post centum hæc omnia vera fore.

155. Vicinus bonus.

Vicinus bonus est: dici à præcone Pericles,
Dum vendit propriam iusserat ære domum:
Vicinus bonus est: non auro hoc tempore magno,
Hâc vellem vendi conditione domum.

156. Sol in libra Crater apparet. *Ptolem: de Appar.*

Dum sol in Libra, Crater apparet in astris:
Est opus in nostris vina librare scyphis.

157. Conuentus.

Germanis dixit Carolus dicenda Polonis:
Conueniunt nunquam sæpeq; conueniunt.

158. Dignitas indignitas.

Vt vxor est opus pari
Sic dignitas nubat viro
Viriq; sumat nomina:
Et ista si indigno datur,

Indigni-

Quæ dignitas olim fuit,
Indignitas vocabitur.

169. Clades 1673.

Camenecum accepit nec viso Turca Polono:
Nec viso Turcâ perdidit ille locum.

160. Bonus est sed mihi non contradicit. *Pij V.*

Aulicus ille bonus qui contradixerit: illum
Qui tecum semper dicit, habeto malum.

161. Breue tempus. *Æn Syl. ep. 62.*

Quattuor atq; decem Gallis breue tempus ad annos:
Sic Lublini agitur tempore causa breui.

162. Confœderatio. 1664.

Defendêre Scythæ patriam, inuasêre Poloni:
Tu ciuis Scytha eris, tu Scytha Ciuis eras.

163. Delphinus Gall.

Dat natura salum Delphino, non solidum dat:
Delphino solium Gallia dat solidum.

164. Emman. Thesauri elogia.

Emmanuel Thesaurus habet duo nomina, primo
Nomine dicatur, posteriore Libri.

165. Quantam cifrarum cifram induimus.

Cifrarum cifra est Alphonso regia torques:
Hæc tantum, quantum Rex valet, ipsa valet.

166. Nescio.

Prandebisne domi quoties interrogo: dicis
An sim pransurus nescio & ipse domi:
Ipse tuæ sumesne domi tua prandia nescis,
Pransurum alterius scis benè at ipse domi.

167. DD. Greg Moralia. XIII. Kalendar.

Primus Gregorius Mores correxit iniquos:
Tempora correxit Tertius & Decimus.

168. Clerus.

Est multus Clerus paucusqué: Ecclesia paucum
Κλῆρον *habes, multum sed sine* κappate *habes.*

169. Actor sequitur forum rei.

Si rea sit coniux, te solo iudice puni:
Ipse vir est actor coniugis, ipse forum.

170. Testis ex Cic.

Credite si multi, non credite Scæuola dixit
Vnus si testor: sic ego credo tibi.

171. Si.

Istâ narraris mihi conditione daturus
Si de te scribam nil aliquando malè:
Scribo benè & scribam verboq; errabo nec vno,
Accepisse à te nil aliquando nihil.

172. Mereri malo quàm ambire.

Quàm celsos ambire gradus ergo malo mereri:
Est comparanda dignitate dignitas.

173. Morbus regius regio cultu tractandus. *Celsu.*

Potat, edit, tegitur, dormit regaliter: vnus
Regalem morbum scit tolerare suum.

174. Pij quinque.

Quinq; Pij Papæ: reliquorum quilibet horum
Aut fuit, aut Sanctus debuit esse Pater.

175. Lignei Sacerd.

Ligneus ex nobis fuerit quicunq; sacerdos:
Arsurum flammis hic fabricatur opus.

176 Ærea moneta.

Insonti solidos quis nescio percutit ære:
Ipse quidem potiùs percutiendus erat.

177 Agens.

Es tu causidicus, tua mauult vxor agentem,
Egit non proprio sæpiùs ille foro:
Causas mitte: domi quid agens agat aut quid agatur
Inspice, quando forum tu premis, ille thorum.

178. Semel malus semper.

Me decepisti, vis & tibi credere posthac:
Hoc fuerat totum quod tibi credideram.

179. Nullus.

In Nullum lusi, læsi quoq; carmine Nullum,
Et solus nobis hic inimicus erit.

180. Procus.

A Precor anne Procus? seu vt pro-Consule consul,
Sic pro legitimo coniuge & iste gerit.

181. Indiscretus.

Jam vacuum argentum dapibus, iam fercula frigent,
Nec tamen illud & hæc retrò referre licet:
Pascimur argento tantùm, tantùmq; sedemus:
Custodem argenti me tua mensa facit.

182. Comitia 1676.

Iudicium extremum veteres dixêre Poloni
Si bellum nobis Turcia & arma mouet:
Iudicij ante diem nubent & cætera: bellum,
Turca mouet, læti nubimus & bibimus.

183. In seipsum.

Ne flammis mea scripta darem persuasit amicus:
Vt verum fatear, non hic amicus erat.

184. Ethica & Proiecta Sumpt: Auct.

Non sine dolore liberos parit mater:
Nec sine nostra libros arca dolore parit.

185. Via Flaminia.

Est tibi sæua vxor bis ter flammatur in horas,
Sic flammas Hecle, sic vomit Ætna suas:
Purgantes citra flammas saluaberis: vxor
Irata, ad superos est via Flaminia.

186 Morstinianus.

A patre nomen habet proles: mea carmina dices
Hæc à Patrono Morstiniana suo.


AVRORA MVSIS AMICA
RESCIT NON TIMESCIT
Reseruant et reserant.
I. N.
PROIECTA
Poet.

I. V. PROIECTA.

LIBER IV.

1. Morstinia Luna Patroni sui.

Hæc obscura quidem fient illustria scripta,
Cynthia si lucem Morstiniana feres.

2. Ioan. III. expeditio ad Chocimum. 1673.

Dux inscendit equum. Troiam euersurus Achilles,
Hoc bellatorem pectore pressit equum.
Talis Alexander longè super agmina visus,
Cùm prior è Graïs bella moueret agris.
Hoc Lechici quondam fulserunt numine reges,
Quo minor & Moschus Thraxq; Getesq; fuit.
Osmanum contra cùm duceret Arma Virosq;,
Sic tuus ad Chocimum sic Pater ibat equo.

3. Andreas Morstin, Thesaurarius Regni Supremus Patronus suus.

Dispensas Regni Supremo munere gazas,
Thesaurumq; piâ ducis habesq; manu.
Est pretiosa fides in te, est prudentia rerum:
Nulla fames auri, nobilis vsus opum:

Vilia sunt quæcunq́ tua sub claue recondis,
Primas Thesauri Te numeramus opes.

4. Epinicion Chocimense.

Membra Reip: Christianæ.

Suecus vtrasq́ manus, oculos Hispanus vtrosq́:
Tu reddis geminos Heluete prompte pedes.
Viscera Germanus, cerebrum Italus occupat: & quod
Sanguinis est hepar patria, Gallus habet.
Est pia Roma caput, fortes sunt brachia Belgæ:
Sunt Veneti pectus, Sarmata tu Cor habes.

5. Bonau. Madalinski, Episc. Płocen.

Quæ ventura polo bona sunt, de serò Patronus:
Quæ venêre tibi gratulor ista cliens.

6. Ingressus in Płocen: Cathedram.

Płocensem senio tristem curisq́ grauatam,
Emerito tandem vertice sume mitram.
O bona quæ ventura tibi sunt Płocia: non hic
Venturus iudex est, Bonus adueniet.

7. A. O. V.

Rex & Nobilitas & tota Polonia magnum
Diligit Andream, diligit inq́ vicem.
Rex illi cordi est, sunt publica commoda cordi,
Vna Senatorem non amat inuidia:

Non

Non amet: hoc odium propriâ virtute mereris
Antistes, nunquam diligis inuidiam.

8. Stan. Bużeński, Regens Cancell. Regni.

Felici calamo Regi Regnoq; laboras,
Et tuus est dignus posteritate stylus.
Qui rexêre prius scribenda, fuêre Regendi,
Solus non regeris tu regis ipse Regens.

N. Prazmowski, Arch. Gnesn.

9. Equestres Soleæ.

Innituntur equi soleis atq; ardua vincunt,
At nudo superant non benè dura pede:
Prazmouij Soleæ sunt fundamenta regendi,
His nixus franget bella Polonus eques.

10. Andr. Morstini, Thesaur. Patr. sui.

Palatium Varsauień.

Sunt qui marmoreis visenda palatia signis
Ædificant, vanum nomen vt inde petant:
Ædificant natis alij seroq; nepoti,
Vicinas postquam corripuère domos.
Ædificant tales alijs: quasi Pergama quondam,
Externus raptas Graius habebit opes.
Stabit opus Morstine tuum famæq; tuisq;,
Quod docta & iusta composuère manus:

Hæc ſecura tui frons eſt, hæc fama palatij,
Ædificare alios, ædificare tuis.

11. Ioan. III. Aduentus ad Electionem.

O niueam! quæ prima tuum propè Numen adeſſe,
Et potuit tandem dicere fama, venit.
Quàcunq́; erigitur commiſſo puluere nubes,
Jllo narraris pulueris ire globo:
Quacunq́; exarſit criſtato vertice caſsis
Dicimus, ille tua caſsidis ardet apex:
Iamq́; ades, ô victor Thracum ſubnixe trophæis,
Turcas horrore at vincis amore tuos.

12. Ioan. Leſczynſki, Cancell. Regni.
Boguſlaus L. Cancellar. Reginæ Eleon.

Rex per Auum loquitur, per te Regina Nepotem:
Principis ingenium pandit vterq́; ſui.
Jlle Aquilam ceris æterno pondere figit,
Auſtriacum tractas tu retinesq́; decus.
Si numerare licet patriæ ſua membra Polonæ,
Lingua, manus Regum, eſt Leſciniana domus.
Illi ſtemma Caput: Caput eſt in corpore Regni,
Ac inter ciues ſumma caputq́; tenet.

13. Ioan Kraſinski, Referendarius Regni.

Quòd noſcenda refers quæ Regem diſcere refert,
Hinc deductus honos officiumq́; tuum: Ciui-

Ciuiles defers regalia damna querelas,
Nec sinis agricolam, mæstaq; rura premi:
Non ego supplicibus Regem compello libellis,
Est Deus, arcanâ cùi calet ara prece.
Nec pro me referes pallentia iurgia: litis
Innocuus, nunquam triste fatigo forum.
In Regis numeris numerus non curo referri,
Est desiderijs proxima meta meis.
Hoc Referendarî referam de munere munus,
Me tibi si dominâ voce Referre velis.

14. Censura Censuræ. 1669.

Censuram scripsit ciuili nobilis arte,
Antistes, qualem secula sera dabunt.
Non Rex Moschus erit: scimus mendacia scimus,
Et sacra diuisâ non benè firma fide.
Non tu Sarmaticam capies Germane coronam,
Sarmata Germano Principe liber erit?
Rex Condæus eras: nocuit tot fœmina votis,
Nil agit in Lechos qui violenter agit.
Lotharingus ades: formâ laudatus & armis,
O Rex! ô Princeps! Rex nisi Piastus erat.
Censura stylus, ingenium, prudentia rara est,
Et sub Censuram non cadit iste liber.

15. Palatium Viaſdouien: Lubomirſcij Marſchalli Reg.

Hâc regina ſuis propè Viſtula defluit vndis,
Imperij Princeps hâc manet arce Comes.
Illa grauis patrijs in Balthin frugibus exit,
Vtilis hîc patriæ ſtat Domus & Dominus.

16. Luna Morſtini Inſigne. Patroni Sui.

Luna à Sole capit lucem: Morſtinia Luna
Incrementa à ſe, non ab honore capit.

17. Ioan. Malachowski, Referen: Regni.
Tænia Gentilitia. 1674.

Vincula cùm meditor tibi condere luce Ioannis,
In tua coniectum vincula me fateor:
Ille tuus tuus ille fauor facit eſſe ligatum,
Quodq; rei nolunt, debitor eſſe volo.
Quid facias igitur de me ſi vincior ipſe?
In tua confeſſum vincula pone reum.

18. Natalis Eiuſd. 1674.

Quinquaginta annos imples tibi menſe Decembri:
Tot Patriæ, & nobis incipe menſe nouo.

19. Hortus Theſaurarij R. Patroni Sui.

Hortus ab hortando ſi poſſet ducere nomen,
Hic exhortator nobilis Hortus erit.
Non hîc tonſa arbor ſapit altum, aut äëra verrit,
A domino didicit ſtare modeſta ſuo: Hîc

Hîc faciles dextram fructus intrantq; petuntq;,
A domino faciles sic didicêre suo.
Arte suâ dominus correxit & imbuit hortum,
Naturam domini fructus & arbor habet.
Quisquis es exculti leges imitaberis horti,
A domino disces cultor & esse tuî.

20. Apologia. 1673.

Gnesnæ sacrorum vesterq; Polonia princeps,
Quî capitis potuit proh furor! esse reus?
Est inquis malè contentus: pereunte quis vnquam
Contentus patriâ debuit esse suâ?
Si benè contenti patriæ vos cladibus estis,
Esse reos capitis vos tamen ille negat:
Non hoc supplicium deflende Polone mereris,
Mollior est in te Principis ira tui.
Non caput & vitam miti sub Præsule perdes,
Purgandum helleboro iudicat esse caput.

21. Legatio Viennen: A. O.

Audijt orantem simul est mirata Vienna,
Cùm petit Austriacos pro Michàéle thoros:
Isto dignus erat Legatus munere: dignum
Legato munus Eleonora fuit.

22. Ioachimus Pastorius, Eques Pol.

Siue

Siue stylum placuit dissoluere siue ligare,
Nobilis es gemino Vir Ioachime stylo.
Seu lubet historicum Lechiæ seu esse Pòétam,
Nobilis historiâ, carmine nobilis es.
Nobilis à patria, virtuteq; nobilis altâ,
Nobilis & prisca relligione vir es:
Jam cùm Sarmaticus censeris nobilis, & te
Rex Equitem Lechiæ Nobilitasq; creat,
Hoc tibi Nobilitas concessaq; Patria debet,
Quòd sit nobilior Nobilitate tuâ.

23. Legationes Succam: Varsauien.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,
Gemmas à rubro littore mittit Arabs:
Aurum Brasilie, Mogora corallia mittit,
Ardua marmoreas Suecia mittit opes:
Non istas pandit mittitq; Polonia merces,
Opacium ad Reges mittit habetq; Virum.

24. Pridie D. Andreæ Apostoli.

Illustr: Andr. Morstin, Thes. R. Patr. Suo.

Vincula non Indo ferimus pretiosa metallo,
Hæc alijs etiam tu potes ipse dare:
Vincula Vulcani non qualia fuderat ignis,
Non opus his, insons quos religauit Amor.

Non

Non deceant Morstine tuos noua vincula mores,
Qui Musas vltro diligis, vltro faues:
Vincula deferimus, non tu quibus ipse ligeris,
Vt liger obsequijs vincula porto tuis:
Quòd si vinciri placeat gaudesq; ligari,
Crede mihi vatis carmina, vincula sunt.

25. D. Andreas & Catharina, Illustrissimorum Patronorum Patroni.

Vnus vestra piè coniunxit Nomina mensis,
Et pia iunxerunt Numina coniugium.

26. Nicol. Prazmow. Arch: Gnesn. Crux inter soleas equestres. A. 1673.

Heu! armata equitum cerno vestigia contra
Ire crucem: vates an breue stemma fuit?
Non contra ciues, nec patria iura, nec aras,
Victorem pugnax Sarmata flectat equum.
Crux tua Prazmoui genuinos ducit in hostes,
Hostes sunt, hostes qui Crucis esse volunt.

27. Ioan. III. Electio, & Ioan. Casim. à Gallijs deductio.

Si de Sarmatico possent contendere Sceptro,
Diui quos nobis astra tulêre Duces.

Et Lechus Gnesnam, Cracus sua mœnia cedet,
Castaq;, dum regnes, viuere Venda volet:
Viuere Venda volet, sed te sine coniuge nollet,
Accedat thalamis nî Casimira tuis:
Sistet equos Lescus, gaudebit Rege Polono
Piastus, ad incaptas sponte redire rotas:
Pulchriùs Henricus fugeret, Stephanusq; Coronam
Ponat, & è Turcis te duce miles ouet.
Ipseq; qui regno cessit, vel mortuus vrnâ
Iam redit, & tanto principe Diuus erit.

28. Stanislao Lipski, Regenti Cancel. Regni Posthumum.

Sonipedis Soleam & geminas in tela Sagittas,
Lipsciadis Mauors hac dedit arma viris.
Hac promptâ meruêre manu, feliceq; telo,
Bellatore illam promeruistis equo:
Ingenio Lipsci vincis, calamoq; triumphas,
Charta tibi campus, penna Sagitta tibi est.
Cum gentilitijs meliùs tibi conuenit armis,
Pegasus hanc, illas doctus Apollo dedit.

29. Idem memorandus.

Multa vetustatis tibi copia, plurima fandi:
Lipscius, vna absit littera, Lipsius es.

30. Pòésis A. Morstini, Patr. Sui.

Quæ laudanda essent in te, sunt plurima nobis,
Sed par laudandis est tua Musa tuis.

31. Bibliotheca Crac. Acad. Aperta, accurante A. O. A. G.

Has aperit portas belli pro Pallade signum,
Primus Sarmatici Præsul honorq; throni:
Huc gressum perferq; animos Academica pubes,
Palladis in campum hic te Ciet Ære suo.

32. Corbiniana Varsau.

Quidquid scripsisti prosâ placet, atq; placebat
Lusisti quidquid Corbiniana metro:
Laude places geminâ, quia cùm sis fæmina, docta es:
Fœmina si non sis, docta placebis adhuc.

33. Bibliotheca Acad. ordinata & ornata, labore M. Andr. Kucharski, Coll. Mai. Can. Cathedr. Crac.

Abdita pulueribus Sapientia torpuit vsq;,
Kucharscî tersit dextra decusq; dedit:
Quot quotiesq; libros studiose relegeris hospes,
In libris illum tot totiesq; leges.

34. Hortus Viasdou. Lubomirscij, Marschalli Supr. Regni.

Musarum Phœbiq́ lepor, Regumq́ voluptas,
Tellus Heròûm tot benè culta manu:
Primi vulgares virgas posuêre coloni,
Plebeiasq́ tulit truncus & arbor opes:
Custodem Regni Virgam Lubomirscius isto
Inserit, & magnas Spes pretiumq́ solo:
Te Sreniaua rigat, quo fonte in mille coronas,
Ac in Marschallos mille virescet humus.

35. Stanisl. Lipski, Canc. Regni Regentis, liberalitate hiems depulsa.

Parnàßi nemus effetum lauriq́ valete,
Quando mihi Lipscî cædua sylua fauet.
Hinc calor hinc lux est nostro calamoq́ focoq́,
Ipse autem patriæ luxq́ calorq́ suæ est.

36. Casim. Sczuka, Abb. Parasidien. Rastra Gentilitia.

Rastra quidem campis sunt instrumenta legendis,
Queîs messos plenus congregat æstus agros:
Tu nihil accumulas, proprios nil ducis in vsus,
Atq́ tuâ viuit parua iuuenta penu:
Cùm tua per Clerum per egenos spargitur arca,
Tessera spargendi sunt tua Rastra tibi.

37. Pòësis A. Morstini, Thes. Patroni Sui.

Mu-

Musas nolo nouem, decimi nec Apollinis artem,
Non Auguste tuos aut peto Marce sales:
Attica mella abeant: Musas & Apollinis artem,
Mella, sales, Pallas Morstiniana dabit.

38. Franc. Plaskoski, Nobilitatio. 1672.

Nobilis est duplex: alienus, proprius alter,
Ille alijs debet, hic sibi tale decus:
Illum sæpè fauor facit, hunc sua gloria dignum,
Ille nouus, vetus hic, natus hic ille datus:
Te promouit ad hanc præclara industria sortem,
Et labor & studium Nobilitate prius.
Iudicio quoq; Morstini Plaskouius ante
Nobilis, accessit quàm tibi factus honor:
Thesauri quàm tu ærariiq; Notarius esses,
Morstino fueras nobilis ante notæ:
Sis nouus atq; datus, sis factus Nobilis: à te
Quæ nata, antiqua est Nobilitasq; prior.

39. Abb. Paradisien. Rastrorum insigne.

Sunt quos ambitio famæq; insana cupido,
Tanquam deuinctos sic ad aratra tenet:
Sunt quorum dextræ Mitrisq; Cruciq; laborant,
Infelix terris hi quasi gleba iacent:

A terris porrecta vides tua surgere rastra,
Virtutem Abbatis credo notare sui:
Vt cælum rapiant, Paradiso Rastra laborant:
Erecta in cælum Rastra quid? astra petunt.

40. Nic. Prazmowski, Arch. Gn. Crux gentilitia.
Ferratas inter Soleas Crux Principis ardet,
Et concursuros sistit vtrinq; equites:
Quid vos ciuili consumitis arma furore?
Et mergi socio vulnere tela placet?
Efferte hæc patrijs efferte hæc prælia campis,
Quà bibit heu captum Turca Getesq; Tyram!
In se cuncta ruent; Mediatrix pacis & augur,
Tu Crux concilias Prazmouiana Lechum.

41. Ioan. III. Castra ad Leop. 1675.
Interregna tuus duo scipio rexit: eâdem
Turcica vertisti Scipio castra manu.
Interregna priùs rexisti, Regna gubernas,
Ac inter Reges Tertius atq; prior.
Tres in te vincunt ô Rex regnantq; Ioannes,
Vnus enim tot res non reget atq; geret.

42. Stella Morstini Patroni Sui.
Quodnam Morstini pro stemmate luceat astrum
Stellaq;, vel cuius nominis atq; poli?

Satur-

Saturnus non est: nescit quia turbidus esse,
Ærarî quanquam præses & ille fuit.
Iuppiter? est animi facilis, quo patre Minerua
Digniùs exisset, quàm Ioue nata fuit.
Mercurius? tali Morstinus labitur ore,
Quali Romanum duxerat ille forum:
Alma Venus? lætâ cui pulchras indole proles,
Clara è Gordonio sanguine Nympha dedit.
Sit Mauors: non qui bella horrida bella vel ignes,
Sed pugnas ciues inter amore vocat:
Hæc ego: Morstini tum fortè vacabat in horto,
Frondibus & Musis cinctus Apollo nouem:
Morstini errantem non ausis dicere stellam,
Cuî constans animus, fixaq; mente fides:
Dic patriæ faustum, miseris dic sidus amicum,
Aurora est Musis, inquit, Amica meis.

43. Ioan. Casim. Cineres, per Succamer. Varsauien. è Gallijs delati. 1675.

Gallia te quondam tenuit Casimire Ioannes,
Carcere captiuum, nunc tenet in tumulo:
Liberat ac reddit sibi te Casimire Polona
Libertas, olim carcere nunc tumulo:

Præsti-

Præstitit officium viuo Gasieuius illud,
Opacius Diuos est pius in cineres.

44. Luna Morstinia.

Morstini Crescens in acutos desinit ignes
Luna; suo Domino Lux & Acumen inest.

45. Radiuilia Soror Ioan. III.

Sunt in te prisci mores, est & noua virtus:
Nam priscos mores est retinere nouum.
Est in te grauitas & prisca modestia Matrum,
Hæc in Matronis est reperire nouum.
Quòd Regis soror es, quòd Rex tibi frater, id vlli
Fortè nouum; vobis est meruisse vetus.

46. Kalendæ Thesaur. Reg. Patrono Suo.
1676.

Non nostris laudande satis Morstine Camœnis,
In cuius gaudent astra venire genus.
Accipe quæ primis concepi vota Kalendis,
Pro te, pro tenera posteritate tua.
Ne des verba velim: non hoc me dignor honore,
Hoc potes hoc dignè regibus ore loqui.
At si quas vati placeat dare fortè Kalendas,
Hoc dederis, solito lætus vt accipias.

47. Ve-

47. Vespaſ. Kochouij Pòéſis.

Non benè Kochoui, Kochanouius æmulus, audis:
Non audis: audit ſed tua Muſa benè.

48. Epitaph: Steph. Czarnecij, Pal. Kijou.

Morte tuâ moreris patriamq́ relinquis inanem:
Mors tua Czarneci non tua, mors patriæ eſt.

49. Nicol. Prazmow. Arch. Gneſn.

Si luſca eſt Fortuna, videns Prudentia: in vnum
Ambæ Prazmouium ſe poſuêre Deæ.

50. Natalis Lux Diui Lucæ.

M. Lucæ Piotrowſki, Collegæ Maiori, Profeſſori Suo. Crac. 1670. D. D.

Tu quoq́ Palladijs non infima pagina faſtis
Illuxiſti hodie, noſtri pars grata libelli:
Argento cuius prælum plumbumq́ niteſcit,
Et literæ clarent. ô Nix Candorq́ Lycæi,
Nullâ damnandum nomen caligine LVCA:
Quod tibi Podlachicis, inter primordia, cunis
Non humilis Lucina dedit, ſeq́ inſuper ipſam
Indidit infanti, niueosq́ exercuit ipſa
Ad lucem vultus, ſolamq́ requirere lucem,
Præſago docuit Patroni in nomine Lucæ.
Quanta Iouis partum nil de tellure trahentem

Excepit manibus natam, castiq; Mineruam
Grande genus capitis fouit, gremioq; locauit;
Tanta tuo custos Lucina interfuit ortu:
Et partem lætata Iouis, partemq; Mineruæ
In te non minimam paruo sub corpore nasci.
Tunc & laurigerâ longè manifesta coronâ,
Nixaq; Sarmaticis Regina Academia Sceptris
Felices tenuit cunas: tunc ordine longo,
Hinc atq; hinc prisco cinxerunt aurea cultu
Symbola Pithagoræ, & lauro texêre togisq;
Poscentem libros puerum, librosq; prementem.
Vos ego nequidquam prælustria nomina nigrâ
Occultante togâ, quos vna modestia celat;
Vos ego Sarmaticæ mentes, vos plena Stagiræ
Pectora, Vos Cracias qui fundauistis Athenas,
Agnosco ad Lucæ lætos cunabula cætus,
Mulcentes teneram prædoctis litibus aurem,
Et quas ipse puer puer arrideret ad artes.
At propiùs fixo Subtilis lumine Doctor
Agnouit preßitq; suum: multùm ille locutus
Quis quantusq; fores. O terq; quaterq; beati!
Queîs tam sublimi Lauros meruisse Decano
Contigit, & tenues Formas, arcanaq; scire,

Illu-

Illustresq; Scoti tenebras ediscere Lvca
Luce tuâ, clarèq; tuo sentire Sereno.
His neq; Romanam, primas quæ Diua loquendo
Instruit ad Latij leges formatq; iuuentam,
Defuit ominibus: paruis comitata Deabus
Hâc Diuos hâc voce polum iuuenesq; ciebat:
Estis io! Musæ. Dîs curæ secula nostra,
Secula tam docto nunquam obscuranda magistro.
O mea lux salue, Craciæ lux publica lucis.
Hoc literas Lechiæ pubes, hoc firma monente
Fundamenta loca: & meliùs sua nomina verbis,
Verbaq; Romanâ consanguinitate ligabis:
Puriùs hoc disces, declinabisq; Polone
Barbariem, & Phœbo meliùs Cyrrhæq; placebis.
Dixit, & insignes cunas puerileq; pectus
Hâc illâ complexa manu: simul ora sub ipsa
Hyblæas infudit opes, nulliq; Latinè
Rectiùs indulsit fandi vel castiùs artem.
Atq; ea tu, queîs ritè sacros celebrauimus ortus,
Reddidimusq; tuæ generosa exordia lucis,
Mansuetâ dignare manu, quâ nempe solebas
Corrigere, & placidus teneros afflare labores.

51. Grammaticæ Inſtitut. M. Lucæ Piotrowſki, Profeſſ. Sui. 1642.

Emmanuel & Valla vale, Priſciq; valete,
Grammaticen pueris qui peperêre grauem:
Grammatice fueras multis obſcura tenebris,
De Luca maior lux tibi luce venit.

52. M. Lucas Piotrowski, Prof. Suus.

Grammaticen pueris clarèq; ac ordine tradis:
Sed magnus, pueros parua docendo, Vir es.

53. Epulum Perſiæ legatis datum.
Ab Andrea Morſtin, Theſaur. Regni, 1675. v. Idus Sept.

Pugnaces Aſiæ mentes & torrida Cancro
Corpora, Morſtinij læta ſubite domum:
Panditur in veſtros hilaris procul hortus honores,
Surgit & attonitis arbor amica comis:
Primas Morſtini, quas florida Gratia condit,
Et ſpargit vario docta Minerua ſale,
Accipite hîc epulas: at tu Sol mitior arde,
Dum dicat madidus veſpere Perſa, bibi.
Affaris, ſuadesq; manu, vultuq; ſerenus
Triſtibus & Medis Bactrianoq; faues.

Immutas epulo mores Morstine virorum,
Barbariemq; facis non meminisse sui:
Non ego legatos miror: mirorq; quòd ad te,
Barbara quæ venit Persia, culta redit.

54. Crac. Academiæ Sceptra bina.

Sceptra duo Lechiæ princeps Academia gestat:
Erudit ad Regni Sceptra secunda Lechos.

55. M. Iosephus Bieżanowski, Coll. Minor.

Clariùs elucent quæ sunt contraria iuxta:
Discrimenq; sui lux tenebræq; ferunt.
Hoc ingens facis exemplum celeberrime vatum,
Cui est ex oculis publica rapta dies:
Non ita prælustris poteras vir docte videri,
Esset si nostrâ luce videre datum:
Nunc patet, arcano quantus latêre sereno,
Quantumq; extincto lumine, lumen agis:
Quin Biezanouij tenebris Academia luces,
Intenditq; tuos illius vmbra dies:
Sit falsum radios oculis erumpere: certum
Et iubar & radios nocte venire tuâ.

56. Ioan. Krasinski, Referen. Reg. Gentilitius Coruus & annulus.

Cras, vox est Corui: Coruus Krasinscius illam,
Nescit: dat præsens aurum, & in ore gerit.

57. Coruus Krasinsciorum.

Coruus in augurijs: Corui annulus ore: Krasinscî
Fortunæ sponsat annulus iste domum.

58. Iacti nummi à Thesaurario R. Patrono Suo, sub Ioan. III. inauguratione. 1676.

Hoc placido vultu Morstine mereris amorem,
Hanc pronam colimus diligimusq; manum:
Cùm spargis nummos, quasi fertile semen amoris,
Quo populi in Regem surgat amica seges.
Rex etsi nobis placet isto munere: vultu
Blandiùs ipse tuo Rex placet, atq; manu.

59. M. Iosephus Bieżanowski, Coll. Min. Pöetarum oculus.

Non Ægyptiaci Romæ sacra monstra colossi,
Non Marci expulso celsa theatra mari:
Non Ludouice tuos infandis molibus hortos,
Non Regum vultus, Sceptra, thronosq; vides:
*Non videas: si Roma videt, si cæcus & ille, **
Europe si te tota, Iosephe videt. * Bapt: Agnen.

60. G. Braumi Medicinæ Doct. Nobilitatio.

Braume tuam felix Medicinæ gloria famam,
Hippocratisq; olim condecorauit honor.
Nobilitat Medicas generosa Polonia dotes,
Doctus eras, Medicus nobilis insuper es.

61. Bibliothecæ Acad. Crac. Porta inscripta.

Panditur arcano quondam libraria poste,
Excussoq; patet Bibliotheca situ:
Debebis lucem libris non inuide lector,
Lucem debebunt Kucharioq; libri.

62. Thesaurario Regni Patrono suo, Auctor Proiecta subijcit.

Iactâsti nummos primi donaria regni,
Quos Proiectorum nomine iure vocem:
Hâc ratione meos dixi Proiecta libellos,
Quæ iacit ante tuos pronus Apollo pedes:
Illa rudis vulgi quondam condentur in arca,
Thesaurus nostris est tua dextra libris:
Grande illis pretium vultus nomenq; Ioannis,
Et rex & scutum & sculpta corona facit:
Hæc nostris desunt Proiectis: vilia non sunt,
Tu rex, tu scutum, tu diadema venis.

63. Stanislaus Kleinpold, Nobilis Polonus, declaratus Małopolski, Comitijs Coron. 1676.

Intermissa diu fortunæ crimine, rursum
Ad te Nobilitas hospes auita redit.
Non te vulgari pateris caligine condi,
Degener haut ab auo, Liuo neposq; suo:
Ille Sigismundi regalia signa ferebat,
Deduxitq; tuum clara per arma genus:
Quanquam te paruum tua magna modestia dicit:
Ipso hoc maior eris, quòd minor esse petas.

64. Cygnus Feliciani Wąsowic, Capitan. Naruien.

Candida Cygnorum proles Dunine Wąsowic,
Cuî Masouiacis Naruia plaudit aquis:
Prima tuo debet Michaël præcepta labori,
Et lectam sceptris imperioq; manum:
Seruîsti Regi non spe deuinctus & auro,
Candidus extremum cygnus ad vsq; rogum:
A se Cygnus habet candorem: Dunius autem
A candore tuo candidus albet Olor.

65. Coruus Gentilitius Krasinski, Ref. Reg.

In Cruce stat Coruus: pia fundamenta: Krasinscî
Tollitur & firmâ stat pietate domus.

66. Approbatio Proiectorum Patrono Suo.

Thesauri Supreme vigil cui Gratia mores,
Externi linguam composuêre suam:

Mores & linguam patria externiq; probârunt,
Et satis est, si tu carmina nostra probes.

67. M. Mart. Vinkler Coll. Maior Regum & Principum Panegyristes.

Vinkler magnifica princeps & gloria Suadæ,
Augusto Plinius cuius in ore sedet:
Vespasianus erat Caio, dictusq; Secundo
Traianus Plinijs: ille auus, iste nepos:
Tertius est sumptus tibi Rex pro laude Ioannes:
Tertius, atq; illis pleniùs, es Plinius.

68. Ioan. Krasinski, Refer. Reg. virtus bello Vcrainen. Alluditur ad Coruum Gentilitium.

Auxilio fuerat Romanis Coruus in armis,
Tot bellis Aquilam texerat iste Lecham:
Est testis Dieuica tuæ virtutis & astûs,
Cùm nudum vallos ingrederêre caput.
O ingentem animam! Patri licet vnicus esses,
Vnica pluris erat Patria ducta tibi:
Est Coruus Phœbo sacer: hic Krasinscius, acri
Bellona & Marti Coruus amicus erit.

69. D.D. Anna, & Ioannes Cantius, Tutelares Academiæ.

Vos Academiæ tutores, Anna, Ioannes,
Gratia queîs carum nomen habere dedit,
Vos geminæ Charites, gemini Iagelonis Amores,
Efficitis gratam Regibus atq; Lecho:
Tertia nec dèerit quoq; Gratia: veſtra, Ioannes
Tertius acceſsit Rex, Clypeata Charis.

70. Illuſtriſsimo Morſtin Theſaurario, Patrono
D. D. Auctor.

Qui dicat hæc vates, eſt ſcriptis gloria nulla:
Gloria tota illis eſt, cui ſcripta Dico.

PROIECTA.

LIBER V.

1. Christus & B. V.

Virgo rem nobis & Christus restituêre:
Hic patiendo Deus hæc pariendo Deum.

2. S. Quod vult-deus Episc.

Hoc voluit quod vult Deus, unus Episcopus olim
Sanctus Afer: plures affer an esse putas.

3. Ignosce ne duo mali sitis. August.

Hosti irascor ais: malus es malus hostis & ipse
Hic faciendo malum, tu patiendo male.

4. S Helenæ imago donata.

Illam Helenam rapuit Paris, inuitamq; tenebat,
Hæc donata tuam vênit & ultro domum.

5. Mulier titulus sepulchri. S. Chrysolog.

Hîc iacet: hic nostri titulus solet esse sepulchri:
Talis amatori fæmina quæq; suo.

6. Titulus sepulchri.

Vt lapis in tumulum seruit sic fæmina: saxum
Ossa premit; viuos sic premit illa procos.

7. D. Casimirus.

Mors electa tibi est Casimire venusq; reiecta:
Mors formosa tibi fœdaq; visa Venus.

8. Præcepta X.

Sunt præcepta decem quæ nos Cruce scribimus vnâ:
Quòd præcepta Dei fingimus esse Crucem.

9. Plenus sacerdotibus Mundus. *D. Greg.*

Plenusq; præsens est sacerdotibus mundus:
Præsente pleni sunt sacerdotes mundo.

10. Crucifixus in Achate. *Ath. Kirch.*

Quòd mihi sitq; tibi Crucifixus fidus Achates:
Ipse nigro faciem sculpsit Achate suam.

11. Aurum sacramenta non quærunt. *Ambr.*

Sacramenta aurum non quærunt: quærimus aurum:
Sacramentorum turba ministra loco.

12. Bulla Cœnæ Domini.

Crimina tanta inhibet Cœnæ quæ Bulla vocatur:
Cœna aliJs tot sunt crimina, Bulla aliJs.

13. Bernardi Siluestris.

Nil fecisse boni quisquis fuit ebrius, inquit
Bernardus: nisi dum labitur ille luto.

14. Socrates lupanar fecit Mundo. *Saluian.*

Socrate communes vxores esse magistro
Qui volet: hûic mundus grande lupanar erit. 15. D.

15. D. Francisc. Assis.

Non mihi Christe dolent patior quæ vulnera pro te:
Quæ pro me pateris vulnera sola dolent.

16. Diua Czest. Audi.

Audaces Suecos hoc Monte Polonia Temno,
Audi Diua Preces vt malè Suece Crepes.

17. Crux Carauaceñ.

Mitto crucem geminam, minor altera & altera maior:
Quæ maior, Christi est: quæ minor illa tua est.

18. Puer IESVS clauso libro.

Quòd sedeat clauso ignarum ne rêre libello,
Hic puer occlusis scit benè cuncta libris.

19. Crux DD. Petri & Andreæ.

Andreæ & Petri vt fratrum concordia raram:
Hic rectam, obliquam pertulit ille crucem.

20. Rota D. Cath. V. M.

Illustrissime Cath. Thesaurariæ R. DD.

Hæc armata licet ferro rota visa tyranno,
Virgo pro Christo sed tibi cifra fuit.

21. Rota annulus.

Non timuit Catharina rotam, fuit annulus illi:
Cûi Virgo veluti proxima gemma stetit:

22. Rota circulus vitiosus.

Nil argumentis Cæsar profecerat, vno
Circulo adhuc instat, qui vitiosus erat.

23. Rota Fulmine tacta.

Virgo rotam precibus confregit: conscia nostris
Angustam ad cælos curribus esse viam.

24. S. Bacchus M.

Et sanctos inter Bacchus numerabitur ipse,
Sanctus erit Bacchus si modò Martyr erit.

25. S. Maria Maior missa.

Magna quid à nostris expectas munera chartis
Omnibus his Maior sancta Maria venit.

26. Lignei Sacerdotes. *S. Bonifac. M.*

Ex omni ligno fit nostra ætate sacerdos:
Templa ideò fiunt quid nisi silua mera.

27. D. Felix M.

Felicem telâ defendit aranea: fiet
Contra hominem telum tela vel ipsa Deo.

28. Aranea.

Parcæ quòd vitæ connectant stamina falsum est,
Felici vitam qui net araneus est.

29. D. Casimiri flagella.

Mulus equusq́; flagris inciditur: at Casimirus
Se cædit, ne esset mulus equusqué, flagris.

30. In Ægyptum fuga.

Pinge Rubens alium quem Herodes perdere poscat:
Hoc puero in IESV *nemo tyrannus erit.*

31. D. in cruce pansus.

Lineæ erunt nerui: sunt vulnera puncta: per illa
In latus ah! centrum tendit amoris amor.

32. In papilionis alis facies Saluatoris. *Kirch.*

Inuenta est facies tua papilionis in alis
Saluator: vermem te probat iste locus.

33. D. Cath. V. M. imago.

Tortorem Catharinæque cedro male pingis in vna,
Nam quis tam pulchrum perdere corpus amet?
Ceruicem dat Virgo suam, negat ille mucronem,
Maior tortori est hæc Catharina suo

34 Crux gaudium Sacerdotum. *D. Ephr.*

Lignea presbyteris fuerat Crux gaudium: at isto
Aurea nî fuerit tempore, tristitia est.

35. D. Augustini imago.

Augustine tuo quò erumpat corde sagitta
Non quærat: pectus vulneret illa meum.

36. D. Hyacinthus Polon.

Liquentes calcauit aquas Hyacinthus vt exsors
Molis, & in Sancto nil leuitatis erat.

37. D. Ephræmi dictum.

Sancta Sacerdotum crux Christi gaudium habetur,
Larga Sacerdoti de crucedona fluunt.

38. D. Sebastianus M.

Perdis tela furor: benè vestris ille sagittis
Vtitur, his metam tangit & ipse Deum.

39. D. Magdalena.

Dilexi mundum morituraq; gaudia mundi,
Nunc te vita Deus diligo Christe mea.
Multo deuinxi fragilem mihi crimine mundum,
Nunc toto Christi vincio crine pedes.
Hoc tantùm fecère boni mea tot mala: quæ plus
Dilexi mundum, plus amo casta Deum.

40. Puer vnicus IESVS in sinu B. V.

Cælestis genitrix Maria nati
Rerum quam dominam rogat suarum
Et tellus cuî tota seruit, auro
Gemmis, floribus, igne, thure, templis:
Sic te perpetuâ fide vocatam
Mundus quâ patet excolat Patronam.
Succurras timido fauens amori
Et serues aliquando negligenter
Jllum qui benè cor meum perurit

Et quem noctibus & diebus opto
Isto dum moriar ſinu tenere,
Formoſum, niueum, vnicumque Patri
Vnum non puerum ſed vnionem.

41. Natalis V. M. VI Idus Septemb.

Naſcitur ad Libram Virgo: Solis pia Mater
Iuſtitiæ, haud naſci debuit abſque Libra.

42. Et ſpes noſtra ſalue.

Naſceris vna quidem neque naſceris vna puella,
Noſtra ſimul tecum ſpes bona nata fuit.

43. D. Petrus Cæleſtinus.

Quàm Cæleſtinus cæleſtis maluit eſſe,
Et ne Papa eſſet maluit eſſe Petrus.

44 D. Petrus Moronus.

Eſſet vti Sanctus Morus cæloqué Beatus,
Supra-latiuo noluit eſſe gradu.

45. D. Ignatius Iungat is.

Diuiſos totis Ignatius orbibus Indos,
Et Sinam Romæ iungat is atque Petro.

46. IESVS deſiderium.

Qui cælis potero tuis carere
Lunâ, ſideribuſqué ſolibuſque,
Et ſudo, pluuiiſque roribuſque,

Qui terrâ potero tuâ carere,
Hortis graminibusq́ floribusq́,
Et thermis fluuijsq́ fontibusq́,
Qui mundo potero tuo carere,
Auro diuitijsq́ honoribusq́,
Sceptris imperioq́ purpuraq́:
Qui vita potero mea carere,
IESV *nolo tuo carere vultu.*

47. SS. Perpetuæ & Felicitatis MM. 7. Mar.

Est nulla terris perpetua felicitas,
Felicitatis vna Perpetuæ est dies:
Sed vtraq; primò Martyr in terris fuit..

48. Beatam me dicent omnes generationes.

Seu Scytha seu Indus seu dicit Sina Mariam,
Seu te si nôrit Magaliana vocet.
Seu desertus Arabs, seu multo sole præusti
Æthiopes, seu quos Brasila terra coquit:
Te Maurus Iaponusq́ ferox te Florida dicat,
Omnibus in linguis Virgo, Beata sonas.

49. D Magdalena.

Oscula Christe pedum mihi tot concede tuorum
Quot caput hoc guttas quot lachrymasq́ dabit.
Quot tulit infami pendentes Magdala collo,
Ipsa quot infelix ora momordit amans.

Quot tibi iecerunt pueri ramosq; togasq;,
Quot tibi festiui personuêre chori:
Virgo quot infanti pressit pressitq; Maria,
His nequé peccatrix plura Maria petam.

50. IESVS in Cunis.

Antea pallenti famulantia sidera cælo,
Ingentem IESV *te timuêre Deum.*
Antea te Dominum mentes timuêre Beatæ,
Et mundo titulis tot metuendus eras.
Terra priùs timuitq; polus Dominumq; Deumq;,
At nunc infantem Mundus hic hic & amat.

51. D. Ioan. Cantij Rom. peregrinat.

Terq; quaterq; pedes Romam petis inclyte Doctor,
Ad cælum doctor cogitur ire pedes.

52. Imago eius ad portam Collegij M.

Quod scelus huc intret vel quæ fallacia? quando
Præ foribus cathedram Sancte Professor habes.

53. Ostentum in templo.

Cùm sacra feruerent, & purâ Cantius arâ,
Cælis arcanum ritè leuaret opus,
Ver fieri dæmon voluit frigente Decembri,
Fit chelidon, vernam fingere lætus auem:

Peruolat orantes populos, tranquillaq; falsò
Garritu Progne non sua, templa quatit:
Tartaream sensit volucrem simul atq; sacerdos,
Corripit & sacrâ monstra reiecit humo:
Mox draco, mox tenues Acheron vanescit in auras,
Infernisq; omen triste reportat aquis:
Auguria ex auium captabat Roma volatu,
Cantius à capto dæmone fausta tulit.

54. Cantius à cantu.

Auceps dum cantat volucrem vult fallere: Canti,
Inferni volucris nomine capta tuo est

55. Academica porta.

Isto quid doceat Regina Academia templo,
Demonstrat Doctor Cantius ante fores.

56. Bulla Cœnæ Domini.

In cœna Domini legitur sanctissima bulla,
In cœna, Domini crimina multa patrant.

57. Sancta Maria.

Anna Paterq; tibi nomen posuêre Maria:
Prænomen Sanctus Spiritus ipse dedit.

58. S. Mar. S. Dei Gen. S. Virgo VV.

Spiritus est Sanctus, Sanctus Natusq; Paterq;
Ex quo quem cui ter Sancta Maria paris.

59. Mater Christi Mat. Diu. Grat.

O Geminis fecunda! Dei cui filius vno
Filiaq; est partu Gratia nata Dei.

60. Mater purissima.

Tu nulli permista patri purissima Mater:
In te dura tenet nulla nouerca locum.

61. Mater amabilis.

In cælis Pater est noster: tu mater ibidem,
Quæ miseros prono Mater amore tegis.

62. Mater Saluatoris.

O Saluatoris genitrix, in corpore mundi
Tu saluatellæ nobile munus agis.

63. Virgo potens.

Infirmum Virgo genus est imbelleq;: Matre
Accedente Dei, reddita Virgo potens.

64. Speculum iustitiæ.

Iustitiæ speculum es quo se Deus inspicit, & quo
Iras & tristes corrigit ore minas.

65. Sedes sapientiæ.

O sedes Sapientiæ! & hic qui te colit, inter
Promotus Diuos obtinet ille locum.

66. Virgo prædicanda.

Plurima dixerunt, dicunt, & plurima dicent,
De te dicenda ô plurima Virgo manent.

67. Fœderis arca.

Iam pridem cæli periȷßent fœdera nobis,
Tu nisi seruandi fœderis arca fores.

68. Domus aurea.

Terra domos luteas habet, vrbs est aurea cælum:
Ciuis ad hanc spectas Aurea Virgo domus.

69. Ianua cæli.

O non difficilis pulsati ianua cæli
In qua cardo Rei vertitur atq; rei

70. Regina SS OO

Bis Regina quater Sanctorum diceris esse,
Tot tibi cum Nato sunt data regna tuo.

71. Culmensis effigies V. M.

Quisquis es, hac mæstam deflebis imagine Diuam,
Non procul à vero funere pictor abest:
Sic oculos sic Virgo manus sic ora tenebas,
Cùm nati exsequias prosequerêre tui
Sic oculis instabat amans & hiantia passim
Vulnera, maternis emaculabat aquis.
Sic passas deserta manus, sic bracchia duxit,
Et quâ pendebat crux fuit ipsa sui.

Pallida

Pallida sic nullæ ruperunt ora querelæ,
Heu fuerat totum nostra querela scelus!
Sic Nati fluxêre artus, vultusq; recessit,
Gemmatiq; oculis sic periêre dies.
Quanta tûi pars Christe deest ad Matris amores,
Ex quo nil præter triste cadauer habet!
Hâc facie Matris, Nati quereretur imago,
Si pictor vocem si dare verba queat.
Hâc facie Nati piæ Matris fleret imago,
Par tantis posset si color esse malis.
Non potuit pictor lachrymas & fingere voces,
Voces & lachrymas qui potes adde tuas.

72. Maria Amari.

Dulce Maria tibi est dignum quod nomen Amari,
Quod totis resonent littoribus maria.
Quod mare quà roseis sol eluctantur ab vndis,
Quod mare quà tepidis mersus anhelat aquis.
Quod mare quà pluuio Neptunus feruet in Austro,
Quod mare quà rigido stat Thetis arcta gelu.
India coralijs, formet quod Persia gemmis,
Diues Erythræo quod notet alga gelu.
Electri solidâ Balthis quod luce, quod omnes
Adria per conchas distribuatq; rates.

Nomine dulcescunt isto maria omnia, Amari
Nil ô dulcis habes Virgo Maria maris.

73. IESV dulcedo cordium.

Iam matutino te suscitat vnda susurro,
Iam vespertinis fracta salutat aquis:
Iam te colluctans syluis vocat aura Mariam,
Iam viridi geminat florida vallis agro.
Iam puer appellat formosaq; virgo Mariam,
Non ita formosâ voce Maria places:
At IESVS *blando cùm te vocat ore Mariam,*
Nullius quàm isto dulciùs ore sonas.

PROIECTA.

LIBER VI.

Sacra Ethica *Gen.*

1. Creauit Deus cælum & terram.

Non terram priùs at cælum legis esse creatum:
Cælum sit potius terra sit inferior.

2. Dixitq; Deus Fiat Lux.

Voce Deus condit lucem nunquam ante locutus;
Quàm vox, terrenus tam citò splendor abit.

3. Dixit & facta sunt.

Dixit, facta: Dei fecit concordia mundum
Cùm dicunt multi: nil fit & acta ruunt.

4. Tulit vnam de costis.

E medio formata viri est noua fæmina: seruent
Fæmineo medium sic in amore viri

5. Os ex ossibus.

Est mulier lateris formata ex osse virilis
Heu os illa sui sæpe stat ore viri.

6. Vnam de costis.

Parte viri ſumpta eſt veluti patre fœmina prodit:
Diligit hic partem, diligit illa patrem.

7. Puluis es.

Puluis es: iſta viro dicta eſt ſententia: & illo
Claude oculos viſo fœmina, puluis hic eſt.

8. Serpens decepit me.

Fœmina ſerpenti conſenſit, fœminæ Adamus
Fœmina ſerpentem, fœminam Adame caue.

9. Multiplicabo conceptus tuos & ipſe dominabitur tui.

Vxoris ſanctæ ſcripſit duo munera Moyſes:
Et parêre viris eſt opus, & parere.

10. Cognouit vxorem ſuam.

Ambis vxorem? mores cognoſce: tuliſti?
Eſt intellectu corripiendus amor.

11. Deus patris mei.

A Patre condidicit Dominumq́; vocare Deumq́;
Filius: ergo patris hunc vocat eſſe ſui.

12. Deus patris mei.

Quem pater ipſe Deum colit hunc quoq́; filius; iſte
Diſcedit rarò à relligione patris.

13 Adhærebit vxori ſuæ.

Vxori vir adhærebit, viro inhæreat vxor:
Hæc accidens eſt ille ſit ſubſtantia.

14. Ipsa conteret caput.

Non medium caudamq; premet, caput atteret ipsum:
A fine aut medio crimina serò premes.

15. Terram in qua dormis dabo.

In qua dormierat Iacob data terra: nec vlli
Post somnum cælum pollicitus Deus est.

16. Dimitte me ascendit aurora.

Aurorâ ascendente rogat Dominus dimitti:
A seruo vinci se timet iste palàm.

17 Tetigit neruum femoris eius.

Vicit homo Iacob Dominum, sed claudus abiuit;
Non damno Dominum viceris absq; tuo.

18. Discurrerunt filiæ super muros.

Non iuisse nota sed procurrisse: puella
Vt videat iuuenem non it, at illa volat.

19. Super muros.

Non extra muros, intra sua mœnia cernunt,
Non extra, natas mitte videre domum.

20. Super muros.

Non ligno aut vno muro conclude puellas:
Muris Ægypti cingere more scias.

21. Super muros.

Turribus atq; tribus condatur fœmina muris:
Rimam quâ videat, & videatur habet.

22. Moysis facies. *Exodi.*

Ex vsu Domini Moyses quasi cornua sumpsit:
Cornua sic seruis gratia dat domini.

23. Feci te Deum Pharaonis.

Moyses effectus Deus est Pharaonis in aula:
Omnis adorandus vt Deus, aulicus est.

24. Propter vxorem Æthiopissam
LXX. Pulchram.

Æthiopissa alijs, vxor quæ pulchra Moysi
Visa fuit: talis sit sua cuiq; viro.

25. Si quis dormierit.

Infandum facinus castè dormitio dicta est:
Hoc scelus auderet nemo patrare vigil.

26. Si quis dormierit.

Dormit qui fœdâ vigilando libidine peccat:
Somnus uti, quævis fœda libido fugit.

27. Diliges Dominum & proximum.

Est oculus totus Deus, hoc qui non videt, ille
Pulchra licet videat, cæcus amore suo est.

28. Deum & proximum.

Primus amore Deus tum proximus: omnis amoris
Sit dux, & præsit dux in amore Deus.

29. Nullus hominum ſit in tabernaculo quando Pontifex orat pro ſe. *Leu.*

Orabat pro ſe nullo ſub teſte Sacerdos:
Quæ priuata rogat, non decet eſſe palàm.

30 Pro ſe & domo ſua.

Nullo teſte roget pro ſe: quia crimina fortè
Eſſe Sacerdotis vult cooperta Deus.

31. Nullus hominum ſit.

Nullus homo: ſit nullus homo: celebrando ſacerdos
Non homo, quando Deo ſupplicat, angelus eſt.

32. Cùm aſcenderent ad templum & ſic prouocabat eam. *Reg.*

Ibant ad templum, vexat Phenenna ſed Annam:
Deuotas ſimiles ſæpe videre licet.

33 Offerat nummum. *Hebr. Oculum.*

Dant oculos nummi: ſine lumine turpiter erres,
Quâuis deducet nummus vbiq; viâ:

34. Nummum. *Oculum.*

Nummus vt eſt oculus: nummis oculiſq; videmus:
Plurima per nummos clauſa videre licet.

35. Nummum. *Oculum.*

Abſq; oculo, aiunt, Canonico nequit eſſe Sacerdos:
Et nummos, oculos credite Canonicos.

36. Deus ſcientiarum Dominus.

Scientiarum dicitur Dominus Deus,
Non vna dominos addecet Scientia.

37. Ibat Philiſthæus & armiger eius.

Præcedit grandem Goliath minor armiger: armant
Criminibus magnis ante minora viam.

38. Recenſuit eos quaſi agnos.

Saul bellaturus populum ſic cenſet vt agnos:
Prompta bonus patriæ victima miles erit.

39. Quaſi agnos

Agnus vt eſt miles forti ſub principe, miles
Agnus qui ciui eſt, hoſtibus ille leo.

40. Quaſi agnos.

A ſacris literis miles laudatur vt agnus,
Hunc parêre duci nec licet eſſe lupum.

41. Saul ſedebat in domo ſua & tenebat lanceam.

Rex malus arma tenet tectus ſeruiſq; domoq;:
Hic timet in propria non metuenda domo.

42. Quærunt extinguere ſcintillam meam.

Filius eſt ſimilis ſcintillæ: hæc vrit & ille,
Vrit amor matrem prolis, amorq; patrem.

43. Scintillam meam.

Est scintilla, domûs heres generisq; parentum:
Absumpsit multas, hic velut illa domos.

44. Scintillam.

Filius est scintilla malus: matriq; patriq;
Infernum accendit sæpiùs atquè sibi.

45. Dederunt Dauid X. millia quid ei superest nisi regnum?

Verius est regni numerus denarius omen,
Præcepta seruanti decem.

46. Fumus gloria Domini.

In fumo celata Dei se gloria condit:
Non huius, Regis gloria fumus erat.

47. Iratus est vir Dei.

Iratus idem sanctus & vir est Dei:
Irâ carere non potest
Sanctus: carebit sed malâ.

48. Vnusquisqué tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius.

Pallia sternuntur: Rex Iehu: Regis honori
Extremam est fidus ciuis ad vsq; togam.

49. Vnusquisq; tollens.

Omnes subÿciunt Iehu sua pallia: paucis
Contentus nescit rex malus esse datis.

50. Comederat & biberat & orauit.
Orauit mulier postquam bibit atq; comêdit:
Quàm parcus potus, quàm fuit ille cibus?

51. Amicus fuerat Hiram Dauid.
Hiram Dauidis fuerat donantis amicus:
Sincerus nemo gratis amicus erit.

52. Vxor tua sicut vitis. *Psalm.*
Vxor vti vitis: vitis caput afficit: vxor
Quò fecunda magis, hoc petit illa caput.

53. In lateribus domus.
Vxori non crede domûs portam atq; fenestras:
Vxoris locus est, à latitando latus.

54. Filiæ vt similitudo templi.
Flectimus in templis: quasi diues filia templum:
Hîc orare opus, & flectere sæpe genu.

55. Diligitis Dominum odite malum.
Oderit ille malum, Dominum qui amabit: in aula
Ille odit dominum qui mala nulla facit.

56. Diabolus stet à dextris eius.
Res indigna: Deo dat auarus quisq; sinistram:
Diabolo dextras Iscariota dedit.

56. Superbit impius incenditur pauper.
Ex lignis ignis, de paupere verò superbus
Lumen habet, quando paret hic, ille perit.

56. Elo-

57. Eloquia Domini, argentum.

Argentum domini eloquijs adiungitur: ipsa
Argento dominus non sine verba dabit.

58. Eloquia casta, argentum.

Iungitur argentum casti sermonibus oris:
Argentum, & castis insidiantur opes.

59 Eloquia Domini, argentum.

Soluitur argento domini vox rara loquentis:
Nec modico pauper soluitur ære loquens.

60. Eloquia Domini eloquia casta.

Castus vt argentum, domini sic sermo sit omnis:
Impuro dominos dedecet ore loqui.

61. Modicum iusto.

Diuitiæ iusto modicæ, multæq; malorum:
Paucæ quæ iustæ repperiuntur opes.

62. Fæx eius non est exinanita.

In cælo noua vina bibent primaria sancti:
Fæcibus infernus tractat alitq; malos.

63. In diebus meis.

Non meus est annus, non mensis: secula fecit
Propter se Dominus cuncta, diesq; meos.

64. In diebus meis inuocabo.

Non peccabo meis, non ludam, aut stabo diebus:
Plorabo, atq; meos sic numerabo dies.

65. Anima mea & venter meus.

Et tuus est venter, tuus est quòq; spiritus: illum
Dum curas, animæ curam & habeto tuæ.

66. Increpationes in populis reges in compedibus.

Arguitur verbis populus, Regesq; ligantur:
Regum quàm populis, vltio maior erit.

67. Senectus in misericordia vberi.

Digna senectutis dare virtus vbere dextrâ:
Mox decessuri sic facitote senes.

68 Deus laudem meam ne tacueris.

Tunc laudes nostras proprio Deus ore loquetur:
Quando suas laudes ipse tacebit homo.

69. Tribulatio & angustia inuenerunt me.

In solio regem sua crux inuenerat: vllus
Non quærat, quemuis crux, dolor inueniet.

70. Dabitur de auro & adorabunt.

Semper adoratur qui aurum sentitur habere;
Ex aulis aurum tollite, nemo colet.

71. Adorabunt.

Semper adorabunt: plures non vnus adorat:
Aurum cui dabitur, in sua quemq; trahet.

72. Posuisti iniquitates nostras seculum.

Crimina nostra vocat Psalmistes secula nostra:
Nobis quæ breuia, hæc crimina longa Deo.

73. Iniquitates seculum.

Iniquitates seculum:
Nam si per ipsa secula
Heu viueremus impij
Peccare vellemus Deo
Per seculorum secula.

74. Rex virtutum dilecti dilecti.

Qui rex virtutum & multis virtutibus exstat:
Diligit hic populos, diligit & bis amat.

75. In capite libri scriptum est, vt facerem voluntatem tuam.

In capite est libri scriptum non calce: quòd annis
A primis, sanctus debeat esse puer.

76. In capite libri, in medio cordis.

A primis præcepta Dei qui combibit annis:
In medio cordis condit amatq; senex.

77. Non amouit orationem meam & misericordiam suam.

O quicunq; oras, Domini sperato fauorem:
Orantem sequitur gratia certa Dei.

78. Cryſtallum ſicut buccellas.

Tum quaſi cryſtallus, panis buccella vocatur :
Omni cùm panis crimine purus erit.

79. Cryſtallum ſicut buccellas.

Cryſtallus buccella : per hanc apparet & illam :
Da panem ad menſam, plurima noſſe potes.

80. In me pſallebant qui bibebant.

In me pſallebant, queritur, qui vina bibebant,
Non In : pſalle Deum, qui ſua vina bibis.

81. Ab vtero locuti ſunt falſa.

Non mirum factoſq; viros & falſa locutos :
Ex vtero infantes ſic didicêre ſuo.

82. Pſalmum dicam tibi in gentibus.

In varijs Christi nomen dum gentibus audit :
Tot gentes, Chriſti quid niſi Muſica ſunt ?

83 Pſallam tibi innationibus.

In populis cantat Chriſtus concordibus : at ſunt
Diſcordes populi cantica diaboli.

84. Induit maledictionem ſicut veſtimentum.

Induitur veluti veſtis maledictio ab illis,
Veſtiti plebem qui ſpoliare ſolent.

85. Maledictionem ſicut veſtimentum.

Qui miſeros ſpoliant populos ornentur vt ipſi :
Illi quot veſtes, tot maledicta ferunt.

86. Orationi meæ Rex meus & Deus meus.
Cùm Deus oratur Rex appellatur, vt ores
Condignè, vt Regem ritè precare Deum.

87. Ne auferas ab ore meo verbum veritatis.
Semper garrula falsitas videtur,
Et mendacia sunt diserta semper:
Verbum dicere veritas amabit
Vnum: plurima verba mentientis.

88. Iustitia illius in filios filiorum.
Iustitia in natos benè dicitur atq; nepotes:
Quæ externos pariter iudicat atq; suos.

89: Gloria mea Cythara.
Gloria Dauidis cythara est, sed & arma fuère:
Sola quidem iuuenum gloria nunc cythara est.

90. Pars mea Deus in æternùm.
Quòd Deus in terra mihi se partitur & astris:
Pars mea in æternum dicitur esse Deus.

91. In iram excitauerunt Excelsum in inaquoso.
Tunc inaquosa magis succendunt Numinis iram:
Cùm sua peccator crimina flere negat.

92. Exsurrexi & adhuc tecum sum.

Surrexi, tecum: celsis moderatio rara:
Qui surgit, reliquis spernit hic esse comes.

93. Dominus cælos fecit.

Qui Deus est, cælos Dominus fecisse probatur
Vt factos seruis noueris esse Dei.

94. Delicta quis intelligit?

Quàm grauiter delicta quis heu! intelligit? orat:
Non intelligimus nos tamen hæc agimus.

95. Sol cognouit occasum suum.

Occasum agnouit, quasi sol intelligat: & nos
Vix intelligimus tunc mala, cùm occidimus.

96. Confessio & pulchritudo.

Hæc duo iunguntur Confessio formaq́; pulchra
Qui sua confessus crimina, pulcher abit.

97. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.

Est cui dicenti ad populos sit plurima virtus:
Hic auditores dirigit vt dominus.

98. Thronus eius sicut sol.

Vt sol sic regis solium: sol lustrat obitquè
Et fouet: ac talis principis esto thronus.

99 Effusa est contemptio super principes & errare fecit eos.

Spretis

Spretis principibus quidnam vis scire sequatur?
Cùm populus reges spreuerit, errat ibi.

100. Impij in circuitu ambulant.

In quo circuitu currit malus atq; recurrit?
Libido somnus & cibus.
Hunc curritur per circulum. Sen.

101. Vidi iniquitatem & contradictionem.

Præcedit scelus, insequitur discordia regni:
Peccata istius semper origo mali.

102. Magnificetur Dominus qui volunt pacem serui eius.

Magnificus pacem seruis curantibus est rex:
Cùm serui, tunc rex sit minor, arma volunt.

103. Infirmata est in paupertate virtus mea.

Debilis est virtus in paupertate vel ægra:
Pauper enim res est rara simulq; bonus.

104. Confitebor & tu remisisti.

Est peccatori fiducia certa fatenti:
Dimitti quod vis, ante fatere scelus.

105. Semel locutus est Deus, duo audiui.

Audiui duo cùm semel est Deus ore locutus:
Et nos dicemur plura tacendo loqui.

106. Aperite portas, Dominus potens in prælio.

Non cælum armato patuit Regiq; potenti:
Saluantur ægrè principes bellicosi.

107. Dominus vitutum ipse est Rex gloriæ.

Non venit ex bello vel robore gloria regis:
Vnica Virtutes gloria Regis erunt.

108. Accingere gladio tuo specie tuâ.

Vt gladius forma est: hic cor, cor & illa cruentat:
Et gladius mortis, formaq; causa fuit.

109. Gladio tuo specie tuâ.

Est gladius species: vaginâ conditus ille
Non nocet: & speciem conde puella tuam.

110. Prodijt quasi ex adipe iniquitas.

Non scelus è macro aut ieiuno corpore: promptum
E benè curata pelle venire scelus.

111. Diuitiæ si affluant.

Non dixit de diuitijs, si forte supersint:
Diuitiæ non sunt, sed sine fine fluunt.

112. Nolite cor apponere.

Vicinos rapiunt & mergunt flumina: longè
Cor à diuitijs ne rapiare tene.

113. Rex operatus est salutem in medio.

Rex est, in medio qui fecerit ille salutem:
Regibus æqua salus, huius & huius erit.

114. Dominus virtutum.

Virtutum dominus: virtute haud polleat vna
Qui reliquis dominus, maior & esse cupit.

115. In iracundia terræ loquentes dolos.

Ira sua est cælis, est iracundia terræ,
Hæc infecta dolis, altera pura dolis.

116. Pauper & inops laudabunt nomen tuum.

Pauper inopsq́; Dei laudabunt nomen: habebit
Felix & diues rarus in ore Deum.

117. Cùm in honore esset non intellexit.

Primo elatus homo non intellext honore:
Intellectum hominis destruit altus honor.

118. Deus noster refugium & virtus.

Et Deus & virtus miseris est rebus asylum:
Et Deus & virtus hæc copulanda duo.

119. Deus & virtus.

Quò fugiant homines, duo sunt, virtusq́; Deusquè:
Quàm multis dolus est improbitasq́; Deus!

120. Non veniat mihi pes superbiæ.

Non geminis pedibus pede stare superbia fertur:
Hinc facile est, vno quòd pede nixa ruat.

121. Pes superbiæ.

Si tantùm pes est, est ergo superbia clauda:
Tardè vel nunquam summa superbus adit.

122. Pes Superbiæ.

Non cor siue caput: caret hoc illoq; superbus,
Quo calcet reliquos, lætus habere pedem.

123. Intellectum da mihi & viuam.

Intellectum orat vitæ, non prædia: nostri
Sunt intellectûs prædia, præsidia.

124. Intellectum da mihi & viuam.

Vt viuat populus manibus pedibusq; laboret:
Rex intellectu viuet agetq; suo.

125. Da & viuam.

Non nummos petit vt viuat: proh secula nostra!
Queis intellectu viuere nemo potest.

126. Eduxit eos cum auro & non erat infirmus.

Hoc est prodigium, sanctos ditesq; fuisse:
Infirmos, auri cura laborq; facit.

127. Exprobrantibus verbum.

Verbum respondet multorum opprobria passus:
Nos vni verbo, plurima verba damus.

128. Quando introiuit ad Bersabee. *Tit. Psal 50.*

Introitus legitur Dauid, lapsusquè tacetur:
Ad solum introitum fœmina virq; cadunt.

129. Ad Bersabee.

Non illa ad regem sed rex ingressus ad illam:
Non alium accusa, te fateare reum.

130. Deus propitius fuisti & vlciscens.

Propitius Deus est, noxasq; vlciscitur idem:
Nam tunc propitius, cùm Deus vltor adest.

131. Vinum cor hominis lætificat.

Vinum cor hominis lætum facit: & bibe vinum:
Vinum, nam letum plurima vina ferunt.

132. Factus est in caput anguli.

Et caput & collum Christus super eminet omne:
Tam magni capitis quis locus? angulus est.

133. Rex prædicans præceptum domini.

Rex pius & iustus Domini præcepta, tacendo
Ex solio populis prædicat ipse suo.

134. Peccaui & ad horam pepercisti mihi. *Iob.*

Non Deus ad menses sed tantùm parcit ad horam]
Annus peccanti non datur, hora datur.

135. Si iustus fuero, non leuabo caput.

Iniustus supra reliquos caput eleuat : atqui
Si iustus fuerit repere cernis humi.

136. Equitatui Pharaonis assimilaui te amica mea. Cant.

Non dispar Pharaonis equis, Salomonis amica:
Illum equus, hunc fœdo mersit amica luto.

137. Equitatui amica.

Intellectus equis non est : quibus addit amicam,
Illi intellectu sic & amica caret.

138. Equitatui meo in curribus Pharaonis.

In curru Pharaonis, equus Salomon meus, inquit :
Sic reges sua, quæ sunt aliena vocant.

139. Lectulus noster floridus, tigna cedrina, laquearia cypressina.

Floreat ipse thorus, sint cedrus vt omnia firma :
His admista comes mæsta cupressus adest.

140. Fortis vt mors dilectio.

Non vanâ causâ dilectio dicitur vt mors:
Vt mors mundanus sic metuatur Amor.

141. Vt mors dilectio.

Mors vt amor: nec mors nec amor bonus eliget vllam:
Formosa an turpis, diues an vxor inops.

142. Fortis vt mors dilectio.

Fortior esse tamen dilectio morte videtur:
Ista homines solos perdidit, illa Deum.

143. Vt mors dilectio.

Mors & Amor par est: vt mors dilectio fortis:
Nulli mors, nulli sic quòq; parcit amor.

144. Considerauit semitas. *Prou.*

Omnes nec vnam prouida
Mater domûs describitur
Considerasse semitam:
Ad fœminas & virgines
Non vna dicit semita.

145. Semitas.

Semita ad inclusas est inspicienda puellas:
Non via regalis, semita ferre solet

146. Manum suam misit ad fortia & digiti eius apprehenderunt fusum.

Hæc fortis mulier robustaq; crimina vincit:
Quæ digitis fusum tractat, agitq; colum.

147. Honora medicum.

Vt patrem & matrem medicum sic, inquit, honora:
Vitam illi primò, postea dat Medicus.

148. Stultorum plena sunt omnia.

Stultorum nullum Christus sanasse notandus:
Stultorum quamuis omnia plena forent.

149. Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes.

Idem per omnes exedras
Ecclesiastæ dicimus
Tantùmque tantùm dicimus.

150. Mors & vita in manibus linguæ.

In manibus linguæ mors est & vita reposta:
Hoc in Iuristis verius esse vides.

151. Vxor diligens corona viri.

Vir caput vxoris: capiti imminet ista corona:
Sit sapiens, volet hæc altior esse viro.

152. Corona viri.

Est vxor diadema viri, est impôsta corona:
Sed qualis Christi, cùm pateretur, erat.

153. Mulier sapiens ædificat domum.

Non fora, non hortos, villam aut publica; debet
Quæ mulier sapiens, ædificare domum.

254. Fecit Deus hominem rectum.

Factus homo est rectus : breuis est quæ linea recta :
Longius ad centrum cur homo quæris iter?

155. Fornicatio mulieris extollentia oculorum. *Eccles.*

Extollit quæcunque oculos, est illa meretrix :
Quæ vestem attollit non minus est meretrix.

156. Beatus qui non seruiuit indignis se.

Qui non seruiuit se indignis ille beatus :
At qui nec dignis, ille beatior est.

157. Presbytero humilia animam, magnato caput tuum.

Presbyteris animam, caput autem subijce regi :
Hic habet imperium corporis, illi animæ.

158 Da locum medico.

Quo sedeat medicus, locus est nisi dandus ab ægro :
Hunc do sed ille auget : da loculum medico.

159. Substantia diuitis terror egenorum.

Terror egenorum sustantia diuitis : huius
Dum crescit, paueat pauper inopsque suæ.

160 Quasi cursor egestas.

Per varias currit terras quasi cursor egestas :
Per varios hominum currit vt ille status.

161. Si te lactauerint peccatores.

Lactant vt pueros verbis: puerilia cense
Quæ peccator amat omnia, siue facit.

162. Beatus qui post aurum non abijt.
Ut domini seruos præcedunt, sic præit aurum:
Aurum qui sequitur seruus hic eius erit.

163. Vinum nouum amicus nouus.
Quale nouum vinum nouus est quòq; talis amicus:
Longâ clarescunt illud & iste morâ.

164. Quoniam memor fuit Domini, dedit illi Deus gratiam in conspectu regis. *Tobiæ.*
Gratia præcedat Dominiq; Deiq; fauorem:
Mox post Diuinam, gratia regis adest.

165. Ne vereatur bona puella. *Iudith.*
Ne vereatur, ait, mensam bona adire puella:
Quin timeat bona, ne sit redeatq; mala.

166. Ne cunctetur pulchra. LXX.
Ne cunctetur, ait, quia pulchra venire puella:
Cunctari pulchram, sit quasi turpe scelus.

167. Bona pulchra.
Quæ bona dicta fuit, iam pulchra puella vocatur:
Quæ sunt pulchra, eadem sunt bona sola malis.

168. Ne cunctetur pulchra.

Ad scelus

Ad scelus inuitant hoc nomine, Pulchra puella:
Quòd quæ pulchra, fere rara pudica simul.

169. Sic faciebatis filiabus Israël. *Dan.*

Sic faciebatis: certò hinc peccâsse reuincit:
Quæ faciunt iuuenes, hæc facientq; senes.

170. Et illæ loquebantur vobis.

Stuprum admittebant: Daniel ait esse locutas:
Incohoat hinc, loquitur quando puella, stuprum.

171. Loquebantur.

Non memorat factum, memorat nisi verba: quòd illud
Tam leue quàm verbum garrula virgo putat.

172. Illæ loquebantur.

Indefinitè plures dixitq; notatque:
Cùm cœpit, numerum nescit habere venus.

173. Loquebantur vobis

Cum solis senibus secretò arcana locutæ:
Casta suo referet sollicitata viro.

174. Et illæ.

Non soli appellant: illiq; loquuntur & illæ,
Ex verbis aliter sic nisi non sit opus.

175. Loquebantur.

At meliùs virgo parco sermone negabit:
Facundo repulit quæ scelus ore, mouet.

176. Sede-

176. Sedebo in monte testamenti. *Isaiæ.*

Mons testamenti: quisquis sublimia quærit:
Mox testamentum cogitet ille suum.

177. Sedebo & similis ero Altissimo.

Iste Deo similis stultè vult esse sedendo:
Multa agat hic, similis qui cupit esse Deo.

178. Duabus alis velabant faciem eius.

Velauêre pedes faciemquè: hinc scite ministri:
Omnia quæ domini nolle videre sui.

179. Nunquid in fluminibus iratus es? *Abac.*

Fluminibus nunquam Deus indignatur & vndis:
Sed peccata quibus nostra madêre solent.

PROIECTA.

LIBER VII.

1. Verbum caro factum est.

Quòd bona promittat nobis, Verbum est Deus: idem
Quòd faciat, factum dicitur esse Caro.

2. Caro factum.

Est Verbum pro me Caro factum: non pudet ergo
Nos mera verba Deo, nullaq; facta dare.

3. Insignum cui contradicetur.

Est signum Christus cui contradicat vt orbis,
Natalis tuus est Lis bone Nata puer.

4. Verbum caro factum.

Ne nos diligeres solo Deus optime verbo:
Est factum, verbum quod fuit ante, Caro.

5. A Deo ad Virginem.

Virgo loco quocunq; habitat Deus aspicit illam:
Proxima Virgo Deo, Virginibusq; Deus.

6. Aue gratia plena.

Angelus omittit nomen reticetq; Mariæ,
Nomen ei proprium Gratia plena fuit.

7. Dixit Angelus. Aue.

Primus Aue Maria dixit bonus angelus: illi
Quisquis Aue negat hoc, hic malus angelus est.

8. Ne timeas inuenisti gratiam.

Ne timeas: quæsita Dei tibi gratia vênit,
Sola timenda hominum gratia, amanda Dei.

9. Discessit ab illa Angelus.

Virginis in cellam venit Angelus, angelus exit:
Angelus à visa Virgine rarus abit.

10. Sub principibus Anna & Caipha, factum est verbum Domini.

Verba Dei sub principibus: vera est phrasis: infra
Sunt sub principibus verba iacentq́; Dei.

11. Erant iusti ambo & non erat eis filius.

Mater erat iustusq́; pater, natoq́; carebant:
Iusti, si non sit filius, ergo patres.

12. Non erat eis filius.

Iusti ambo fuerant natumq́; vnumq́; volebant,
Iniustos, proles nam numerosa facit.

13. Agite pœnitentiam.

Non cogitata mente pænitentia,
Aut ore dicta indicitur:
Agere iubemur opere pænitentiam,

Quam

Quam sæpe tantùm dicimus,
Aut cogitamus sæpiùs.

14. Implete hydrias aquâ.

Fecundi calices quem non fecistis egêre?
Hi qui sunt ad aquas, vina bibêre modò.

15. Impleuerunt vsq; ad summum.

Ad summum implêrunt: mala consuetudo notatur:
Quisq; velut biberat vina, bibisset aquas.

16. Baptizato IESV descendit Spiritus.

Nunquam conueniunt ad sordida tecta columbæ,
Lotus vbi est Dominus, casta columba venit.

17. Salutem ex inimicis.

Quisquis es infensos offensus dilige: certa
Ex irascenti prouenit hoste salus.

18. Herodes. De pellibus glorians. *Salmeron.*

Est post detractas Herodi gloria pelles,
Rex malus est populi pellio quisq; sui.

19. Cùm opportuna dies accidisset.

Opportuna dies cædi fuit illa Ioannis,
Commoda criminibus mensa, chorea, dies.

20. Saltauit & placuit.

Saltauit, placuit Regi: promotio in aula
Per saltum talis sæpiùs esse solet.

21. Licet dimidium regni.

Dimidium regni promittit: quòd benè poto
Dimidiâ visum est non nisi parte minus.

22. Natalis sui cœnam fecit.

Vno corrupto sequitur generatio: in aula
Natalem sequitur mors etiam alterius.

23. Cœnam.

Cœna fuit: cœnæ infertur Baptista lucerna,
Isto nil vidit lumine cæcus amor.

24. Præcepit afferri caput.

Ad cœnam Herodis venit Baptista coactus,
Sed non manducans, non vt & ante bibens.

25. Caput eius.

Affertur tantùm caput & non ipse Ioannes,
Sic rarus choreas integer hospes adit.

26. Caput eius.

Quisq; venit mensis promptus conuiua: Ioannes
Abscissum elêgit se sine abire caput.

27. Dedit illud.

Dat caput Herodes meretrici aufertq; Ioanni,
Sic donum damnum sæpe fit alterius.

28. Da mihi caput.

Baptistæ caput appetijt: non illud habere
Digna fuit: proprium perdere digna caput.

29. In disco.

Pellicibus dantur bellaria sacra: parari
Debuerat scorti sic vtriusq; caput.

30. Audito eo multa faciebat.

Dicente Herodes faciebat multa Ioanne,
Herodes illo plura tacente facit.

31. Decollauit eum.

Aula quid est Regum? fratrum est velut ordo Minorum,
Baptista hîc factus Maximus ille, minor.

32. Decollauit eum.

Quo nullus maior, capite est Baptista minutus,
Nemo aulam tutò maior adire potest.

33. Dicite vulpi illi.

Vt præit in campo leo rex animalium: in aula
Sic vulpes hominum est rex, hominesq; præit.

34. In ciuitate peccatrix.

Non fuit in villa peccatrix, peccat in vrbe,
Vrbs peccatrices efficit, vrbs & amat.

35. Mulier peccatrix.

Peccatrix mulier: quo nomine nescio, tantùm
Peccatrix: nomen perdidit ante bonum.

36. Cœpit lachrymis rigare.

Ignes odit aqua atq; humore extinguit: amante
In Magdalena diligit ignis aquas.

37. Lachrymis.

Quòd mundi fumos complexa Maria tenebat,
Ex illis fumis lachryma tanta fluit.

38. Lachrymari.

Diligimus lachrymas, est quædam flere voluptas:
Mœsta voluptati Magdala das operam.

39. Osculari pedes.

Ante pedes Domini iaceo integra Magdalena,
Antea corrupto nomine lena fui.

40. Trahent vos ad reges.

Non ibunt ipsi, regum sed agentur ad aulas,
Nunc vltro veniunt: sic nego Christe tuos.

41. Ducentur propter me.

Propter me ad reges, Christus duceminor, inquit:
Propter se clerus huc Monachusq; venit.

42. Deuorant domos viduarum.

Non mirum hypocritas ieiunauisse frequenter,
Qui deuorârunt ante viduarum domos.

43. Totus mundus abit post ipsum.

Vix abiêre aliquot, mundus tamen esse videntur:
In paucis multùm, qui inuidet, esse videt.

44. Sepultus est in inferno.

Summa fuit species viuus: post infima mortem,
Diues in inferno quando sepultus erat.

45. Qui intingat.

Poscit aquas epulo: vetus assuetudo quid êgit.
Mortuus inferno conditus, ecce sitit.

46. Venit ambulans super mare.

Vt regnum fugeret supra maris ambulat vndas,
Ostendit regno tutius esse mare.

47. Misit cæcum in domum suam.

Vt cæcus clarè vidit, domum abire iubetur,
Namq; suæ tales est opus esse domi.

48. Vestimenta eius sicut nix.

Vestimenta eius sicut nix alba fuêre,
Omnis in hac terra gloria, tam breuis est.

49. Nolite iudicare secundùm faciem.

Iudicium iuxta faciem nolite proferre,
Ipsa erit ex facie, casta Susanna, nocens.

50. Surrexerunt virgines & ornauerunt.

In media surgunt nocte ornanturq; puellæ,
Hoc vnum surgens manè puella facit.

51. Obuiam exierunt quinq; fatuæ.

Præcurrunt fatuæ ad conuiuia quinq; puellæ,
Tardo prudentes hac adiêre gradu.

52. Vos ex patre diabolo.

Esse ex patre Deo, gradus ascendentibus hic est:
Descendentium hic est, diabolo esse patre.

53. Vbi thesaurus ibi & cor.

Thesaurus cor auari habet: ergo cadauer auarus:
Dicitur hinc rectè sordida auaritia.

54. Ibi & cor.

Corde sui domini thesaurus viuit auari,
Dæmona verò loco cordis auarus habet.

55. Quomodo potestis credere qui gloriam ab inuicem quæritis?

Multi non credunt: in causa est gloria vana:
Famæ qui cedit, credit & ille Deo.

56. Pater noster.

In cælis Pater est noster: licet optimum haberes
Jn terris patrem: vitricus alter erit.

57. Panem nostrum.

Nostrum haut oro meum, plurali nomine panem,
Communem pro me pauperibusq; rogo.

58. Dimitte debita nostra.

Debita nostra velut regali more rogamus,
Cuiq; velut regi plurima debita sunt.

59. Da nobis & dimitte nobis.

Da & dimitte, reus posco: dare conuenit illi,
Et qui te læsit, nec meminisse reum.

60. Da panem & dimitte debita.

Panem quottidie comitantur debita: panis
Quem tibi dat Dominus, debita multa trahit.

61. Sanctificetur. Adueniat regnum.

Vt regnum nosmet sanctos cæleste requirit:
Ad regnum sanctos deligat & populus.

62. Regnum. Fiat voluntas tua.

Hoc regnum non est vbi fit cuiusq; voluntas,
Vnius in regno velle, opus est fieri.

63. Vos qui reliquistis omnia.

Vitam perennem & centuplum Christus dabit
His qui relinquunt omnia,
Non quos relinquunt omnia.

64. Secuti estis me.

Me, non diuitias, non spem: pleriq; sequuntur,
Post allata Magis munera, qualis erat.

65. Vos in medio luporum.

Nos vt oues dominus medio iubet esse luporum:
Durus Presbyter est, vt lupus inter oues.

66. Quid faciendo vitam æternam possidebo?

Æternam vitam quid, ait, faciendo tenebo?
Non hæc optando, sed faciendo datur.

67. Thesauro abscondito.

Quæ Deus abscondit cælo, thesaurus hic: ergo
Thesaurus non sunt, quæ bona aperta dedit.

68. Ego sum via veritas & vita.

Est Christus via, vita, veritasq́ue,
Calcatur via, vita, veritasq́ue.

69. Lucerna corporis tui est oculus.

Corporis est oculus nostri velut alta lucerna,
Arserunt oculis corpora multa suis.

70. Domus mea domus orationis.

Oratur in templo Deus, Dei templum
Orationis est domus:
Oratur aulâ Rex: palatium Regis
Orationis est domus.

71. Nomen mihi legio.

Dæmonium ex castris nomen legionis habebat,
Militum enim legio, plurima dæmonia.

72. Nolite timere. Vobis regnum.

Regnum

Regnum accepturos monuit, nolite timere:
Regnum est continui proxima causa metûs.

73. Exaltatus omnia traham ad me.

Nos regni socios Dominus promittit habere,
Nemo sui socium vult patiturq́; gradûs.

74. Erunt sicut angeli Dei.

Nullum coniugium cælo: velut angelus angelus omnes:
In terris nupti, sint homines homines.

75. Rex tuus venit super asinam.

Noster rex asinâ inuehitur regnumq́; capeßit,
Ad regnum lento sic decet ire pede.

76. Rex super asinam.

Rex asinâ solium, sapientior omnibus, intrat:
Ad solium plures perueniunt asini.

77. Qui se humiliat exaltabitur.

Quisq; superbus habet binas quasi præposituras,
Nomine prima super dicitur, altera sub.

78. Noli tubâ canere ante te.

Si rectè quid agis noli tuba te canat ante,
Vltima cantabit nam benefacta tuba.

79. Præcedent meretrices.

Si Deus ad cælum nequÿt vos ducere: ducat
Aut pudor ad cælum, vel meretricis amor.

80. Præcedent.

Fur non appropiat cælo: meretricia turba
Præcedit: fragili fœminæ & astra fauent.

81. Oues à dextris.

Læua malis, datæ dextra bonis: hinc quærimus omnes
Dextram: quòd nemo vult malus esse palàm.

82. Pestilentiæ per loca.

Pestifer ipse locus: locus & bona corpora perdit,
Ipsis inficitur mens quoque sana locis.

83. Nemo potest duobus dominis.

Nemo potest hominum dominis seruire duobus,
Et seruos omnes nos Deus vnus habet.

84. Reliquistis omnia sedebitis iudicantes.

Iudicio mundi, qui spernunt omnia, præsunt:
Omnia qui iudex negligit, ille bonus.

85. Vobis Legisperitis væ.

Iudicium ante Dei Legis væ triste peritis,
Væ fuit ignaris iudicium ante hominum.

86. Serui inutiles sumus.

Omnia qui fecit, nihil & qui fecit, vterque
Seruus inutilis est, hic sibi & ille Deo.

87. Qui vos recipit, me recipit.

Ad

Ad nostra est visus nunquam conuiuia Christus,
Est anti-Christus crebrior hospes ibi.

88. Sic erit aduentus filij hominis.

Hîc editur bibiturq́; illic: hîc nubitur atq́; hîc:
Hoc finem mundi tempore, credo fore.

89. Manducauimus coram te.

Manducauimus & bibimus: quàm oratio stulta!
Dixissent potiùs, viximus ante benè.

90. Et bibimus.

Quòd manducârint, biberint: responsio iusta,
Nunc ieiunetis nunc sitiatis, erit.

91. Et bibimus.

Contra se dicunt, cælum post pocula poscunt:
Quid dicas, nescis ebria turba, Deo.

92. Nescio vnde sitis.

A mensis veniunt, & ait, vos nescio iudex,
A vino & mensis nullus ad astra venit.

93. Venit Magdalene & dixit nescimus.

Vt plures loquitur, nescimus, sola Maria,
Ex vno plures multiplicabit amor.

94. Noli me tangere.

Ascendi nondum noli me tangere: tutus
In cælo tuus ô fœmina tactus erit.

95. Assumptus est.

Non petit ipse meus sublimia sidera Christus,
Sumitur: inuito summa petenda pede.

96. Sedet ad dextram

Infima homo species: Patris cùm dextera Christum
Accepit: species hîc homo summa datur.

97. Nubant in Domino. *D. Paul.*

In Domino viduam vult nubere Apostolus: at nunc
Negligit In, quauis nubere vult Domino.

98. Dies domini vt fur.

Inuito domino qui rem clàm tollit, hic est fur:
Fur est, inuitos nos rapit, ille dies.

99. Quorum Deus venter.

Cur venter Deus est? Deus est venterq́; creator:
Hic bona cuncta creat, hic mala cuncta creat.

100. Vir caput est vxoris.

Vir caput vxoris: mulier quæ nubere quærit,
Illa carere suo debet, habere viri.

101. Stimulus mortis peccatum.

Peccatum est mortis stimulus quo pellit in vrnam,
Qui peccat citiùs præ morietur homo.

102. Ministerium tuum imple.

Gran-

Grande ministerium Præsul quod sobrius implet:
Arcas auarus implet, ebrius scyphos.

103. Sapere ad sobrietatem.

Et bibere & sapere est moderatè quemq; necesse:
In vino serues & sapiendo modum.

104. Ad sobrietatem.

Vina caput, mentem sapientia inebriat: illo
Ebrius, hâc amens quisq; vocandus erit.

105. Ne grauentur corda vestra ebrietate.

Ebrietate suâ dicuntur corda grauari:
Ebrietas crimen non erit ergo leue.

106. Ne grauentur.

Ebrietas leuis est hoc nomine cedo, quòd auro
Arcas exoneret: cor grauat, inde grauis.

107. Viduas honora.

Non viduas ô Præsul ama, tantummodò honora:
Ad viduas sit honor, sed prohibetur amor.

108. Non vinolentum.

Non vinolentum: ad curas & ad omnia sacra,
A vino lentus deses Episcopus est.

109. Corde creditur. Credo, Corde.

Credo atheus falsò dicit, quia credit in ore,
Cùm credo dici non sine Corde potest.

Tur-

110. Turpis lucri gratiâ.

Turpe lucrum ex sacris: huic turpi gratia magna,
Pulchrum est presbyteris Præsulibusq; lucrum.

111. Scientia inflat.

Inflat quem tumido ventosa scientia motu,
Non solidè doctus, est hic inanis vter.

112. Aduocatum in cœlis.

In cælo licet aduocatus vnus,
Quam mœsti tamen inuocare poßint,
Non excluditur Aduocata Mater.

113. Reddat debitum.

Debita non dixit, numero sed Apostolus vno,
Debita contraxit plura libido frequens.

114. Fugite fornicationem.

Percurantur, ait Medicus, mala multa ferendo,
Luxuriæ cures aufugiendo malum.

115. Fugite.

Dicunt iura, Reum faciet fuga: fugeris ignes
Luxuriæ, innocuum te facit ista fuga.

116. Forma facti gregis. *D. Petr.*

Forma gregis pastor: non absens corpora format
Forma, nec informat si à grege pastor abest.

117. Vxor agni. *Apoc.*

Vxor cur agni, non dicitur eſſe mariti?
Sit mitis coniux, agnus vt eſſe ſolet.

118. Agni nuptiæ.

Agni connubium benè dicitur: eſt vir vt agnus,
Vir ſuus vxori victima ſæpe cadit.

119. Fumus in conſpectu Domini, de manu Angeli.

Angelus impleuit Domini pia lumina fumo,
Sic fumis ſerui ſæpe replent dominos.

120. Supra ſedem, & mare vitreum.

Quem fecit Dominus regem iuſsitq́; ſedere,
Nec mare nec poterit turbo mouere loco.

121. Templum eius eſt Agnus.

Agnus & in terra templum eſt: de vellere templi
Et miles tegitur presbyteriq́; calent.

122. Accipe librum & deuora. Non dicit & bibe illum. *Haimo.*

Ex libris comedat doctor, cur non bibat? omnis
Quicunq́; incumbit, ſobrius eſto, libris.

123. Facta sunt fulgura, apparuit in cælo mulier amicta.

Fulgura præcedunt, tellus & grando mouetur,
Tanta vel in cælo fœmina compta mouet.

124. Signum magnum mulier amicta.

Tanquam prodigium magnum notat esse Ioannes,
Ornatam in cælo se reperisse Deam.

125. Resistitis Spiritui sancto sicut patres. *Act.*

Spiritui sancto natiq; patresq; resistunt,
Quos pater, hos mores natus amare solet.

PROIECTA.
LIBER VIII.
Dolores in Christi Dolores.

1. Sanguis in terram.

Terra ego sum: sanguis tuus ah effunditur in me,
Hoc consanguineum me tibi Christe facis.

2. Sudor.

In terram sudor decurrerat: his elementis
Corrupto veteri procreor alter homo.

3. Procidit in faciem.

Labitur in faciem: non ausa inuadere vultum,
Heu te ex insidijs crimina nostra premunt.

4. In faciem.

Occurrêre tibi mea tot peccata luenda,
Monstra tot haut poteras ferre videndo, cadis.

5. Egressus est.

Egreditur portis vrbanaq; mœnia linquit,
Vrbani tua nil paßio nil habuit.

6. In prædium.

Prædia dicantur quare nil suspicor: istud
Quo fueras captus, prædaq;, prædo fuit.

7. Quemcunq; osculatus fuero.

Proditur Iscarij furtiua per oscula: quantùm
Dulcis es? inuitus quem tamen hostis amat.

8. Procidit in faciem.

Procidit in faciem: sic ergo flagella recusas?
Hoc potiùs gestu Christe flagella petis.

9. In villam.

Ingreditur villam: non villa est vilior vrbe:
Hanc pariter fuso sanguine tingis & hanc

10. In hortum.

Non vrbs sudanti, placet hortus agerq;: laboras
Filius agricolæ conueniente loco.

11. Guttæ sanguinis.

Nulla quòd erubuit pars crimina corporis huius,
Tu pro me toto corpore Christe rubes.

12. Cum laternis.

Cum facibus Dominum non quærite, perditus haut est,
Hoc mihi tu nato perditionis age.

13. Ego sum.

Hâc hostes, Ego sum, deiecit voce: superbus
Istâ deieci te toties, ego sum.

14. Ducite cautè.

Ducen-

Ducendus cautè dominus cautèq́ tenendus:
O vtinam auditus proditor ipse foret.

15. Omnes fugerunt.

Non fugit dominus nec erat reus ille, sed omnes
Diffugêre: fuga hæc comprobat esse reos.

16. Hæc est hora vestra.

Tot fuerant horæ, tristes tot pertulit horas:
Tempore quàm longo passus es? hora fuit.

17. Petrus sequebatur à longè.

A longè Petrus sequitur Dominumq́ negauit,
Peccato à longe sternitur apta via.

18. Dedit alapam.

Non alapam accepisse lego, dedit impius illam:
Accepisse probrum tam graue Christe negas.

19. Non noui hominem.

Non hominem noui: Petri sic explico verbum,
Tunc patiens Iesv *non homo, vermis eras.*

20. Gallus cantauit.

Gallus cantauit, Christum dum Petre negasti,
Me miserum! quando te nego Christe, cano.

21. Loquela manifestum facit.

Ipsa loquela Petrum Christi non esse probauit
Discipulum: iurat falsa & aperta negat.

22. Proiecit in templo.

Argentum Iudas templo, ſe abiecit in agro,
Argentum quàm ſe pluris auarus habet.

23. Palmas in faciem dederunt.

Palmas in facie Chriſti petulantia fixit:
Palmas: ille tuus Chriſte triumphus erat.

24. Velabant & percutiebant.

Velârunt ſic percutiunt audacter: & in te
Sub prætextu aliquo ſic ego pecco Deus.

25. Quid feciſti?

Quid tu feciſti? in perſona Pontius errat,
Me quid ego feci quære Pilate reum.

26. Quid feciſti?

Quid reus hic fecit fruſtra vult quærere: factis
Si ſe defendat non erit iſte nocens.

27. Quid feciſti?

Quidnam feciſti iudex interrogat: iſta
Non mihi quærentis verba, ſtupentis erunt.

28. Nullam inuenio cauſam.

Nullam habet vt pereat IESVS *ſub iudice cauſam,*
Vnam ſed cauſam ne pereamus habet.

29. Nullam cauſam.

Inue-

Inuenio nullam ne iudex dicito causam:
Ecce tuos mundi Causa stat ante pedes.

30. Quis te percussit?

Quis te percussit? non prodit, non ait, omnes:
Quando negant omnes Christe fatebor, ego.

31. Illusit Herodes.

Ut ludens Dominum sic perdidit ante Ioannem:
Aula in peccatis ludit vbiq; suis.

32. Albâ veste.

Albâ veste meus Dominus deluditur: aulæ
Necquicquam candor serius esse potest.

33. Herodes gauisus est.

Gauisa est agno regalis & aulica vulpes,
Vulpes: hoc viso tu lachrymeris homo.

34. Gauisus est valde.

Herodes viso gaudet: quo affligis IESV
Vultu: si tristis gaudia vultus habet.

35. Remisit ad Pilatum.

Indutum veste albâ, Herodes eijcit aulâ,
Non habet hîc qui vult candidus esse locum.

36. Alba vestis & purpura.

Iudicijs visus rubicundus, candidus aulæ:
Aula insit candor, iudicijsq; rubor.

Facti

37. Facti amici in illa die.

Herodes Præsesq́ die fit amicus in illa:
Semper amicitia est non diuturna malis.

38. Facti amici.

Regis amicitiâ Dominus coniungit & hostem:
Nolo me iungas regibus, adde tibi.

39. Qui me tibi tradidit.

Tradidit & Iudas, Caiphas, plebs, tradidit Annas,
Tot tibi quàm miti traditor vnus erat!

40. Quid est veritas?

Importuna quid est verum? tua quæstio iudex:
Nam iudex verum quærere debet, An est?

41. Apprehendit Pilatus.

Pilatum solum meminit tacuitq́ cohortem,
Qui patitur, numerum dicere nescit amor.

42. Et flagellauit.

Sunt peccatoris, Dauid inquit, multa flagella:
Sunt etiam IESV *multa flagella boni.*

43. Flagellauit.

Post tergum peccata tuum mea iacta recumbunt,
Terga flagellantur heu ideoq́ tua.

44. Flagellauit.

State truces virgasq; manusq; absistite: non hic
Romanus ciuis: non reus & Deus est.

45. Exiuit portans coronam.

Tristibus egreditur spinis homo tempora cinctus,
O mores hominum! ô tempora Christe tua!

46. Portans coronam.

Portans: Rex mitis portat clemensq; coronam,
At portat reges ipsa Corona malos.

47. Corona spinea.

Optimum, vt aiebat sponsa, est caput illius aurum:
Vt reliquas sic has spina coronat opes.

48. Corona spinea.

Sumpta corona aures regum concludit & arcet,
Hæc tua recludit Christe corona caput.

49. Regnum meum non de hoc mundo.

Post tot contemptus, Rex acclamatur ab hoste,
Sic regnum mundi scanditur alterius.

50. Ecce rex vester.

Rex meus est IESVS: *quisquamne potentior est te:*
Rex nî esses mala tot vincere non poteras.

51. Rex vester.

Ecce est Rex vester: negat hunc quicunq; rebellis,
Sum respondebo, subditus ecce tuus.

52. Ecce homo.

Ecce homo: testatur medio iam sole Pilatus,
Vnicus ille fuit, tunc homo nullus erat.

53. Ecce homo.

Ecce homo: conspectu tam tristi colligo, quantas
Heu fueram pœnas ecce daturus homo.

54. Crucifige.

Ecce homo: quid Crucifige aiunt? hæc stulta sequela,
Non Cruce proh! hominem hunc pectore fige tuo.

55. Innocens ego sum.

Se negat esse reum Pilatus sanguinis huius,
Me posse hæc IESV *dicere verba, nego.*

56. Sanguis eius super nos.

Ah aliter dicam, sanguis nos est super omnes,
Christe tuus: noxis omnibus altior est.

57. Nolite flere super omnes.

Te fleri prohibes polluto lumine, castas
Vis lachrymas: lachrymas da mihi quæso tuas.

58. Super vos flete.

In te quod plorem nil est, sunt omnia sancta:
In me quod plores heu mihi! multa vides.

59. Induunt eum vestimentis eius.

Induitur propriis alienaq; pallia ponit,
Ex alieno nil qui moriturus habet.

60. Inuenerunt hominem.

Vix Helenæ crux est Reginæ optata reperta,
Non velit, inueniet pauper vbiq; Crucem.

61. Cum eo duos latrones.

Cum IESV *duo latrones, mox vnus:* IESV
Factus in extremis hic latro, at ille sui.

62. Stabat iuxta crucem.

In Cruce thesaurus mundi pretiumq; pependit,
Et prope latronem Virgo fidelis erat.

63. Ecce filius tuus.

Discipulum Matri moriens in filium adoptat,
Tunc Geminis certè Virgo propinqua fuit.

64. Quem diligebat.

Filius est, IESVS *quem diligit: ergo Mariæ*
Quem non diligit hic, filius esse nequit.

65. Vnum à dextris.

Latronum medius pendet Deus, ipsa latroni
Dextra datur: tanto latro in honore fuit.

66. Hodie mecum.

Sol obscuratur, latro rapit astra per vmbras:
Non poterant horâ commodiore rapi.

67. Sitio ô itis.

Ah sitio dicis: non vina & pocula poscit,
O homines ad me vertite, ô itis, ait.

68. Sitio.

Opprobriis auidam multùm saturatus orexim,
Ah quantùm post tot fercula Christe sitis?

69. Noluit bibere.

Vix degustauit, detrectat pocula fellis,
Heu ego letales gusto biboq; scyphos.

70. Mouebant capita.

Mouerunt capita, at non abiecêre superbi:
Non caput ah! in te cor mihi Christe moue.

71. Deridebant eum.

Dic Mater, risum Dominus mihi fecit: acerbè
Derisus IESVS *in Cruce quando fuit.*

72. Memento mei.

Latro memento mei quid solus & vnicus oras?
Sum comes & scelerum, Christe memento mei.

73. Sol obscuratus.

Parcite mortales alienæ parcite famæ,
Crimina tot tenebris occulit ipse Deus.

74. Petræ scissæ sunt.

Illudunt homines, petra scinditur ipsa dolore:
Petra hominis mores induit, ille petra.

75. Sol obscuratus.

Sol obscuratus Domino moriente: nec ullus
Jam mihi sit latus te moriente dies.

76. Dimitte illis.

O illis dimitte Pater: pro pluribus orat,
Et mihi parce uni tu Pater, ille ego sum.

77. Quia nesciunt.

Dat causam, veniam quia nesciuêre merentur:
Et veniam spero qui scio, pecco tamen.

78. Quia nesciunt.

Quos toleras ô Christe tuos scit nemo dolores,
Scis solus nostro quæ patiare bono.

79. Crucifixerunt.

Tollitur ab agnus qui tollit crimina: cœli
Jn muros aries tollitur iste Dei.

80. Medium IESVM.

Est templum corpus Domini: texêre latrones,
Latronum ista Dei facta spelunca domus.

81. Crucifixerunt.

Longè publicus emines ab altâ,
Et pendes trabe, cernerisq́ summus:
Nos quidquid patiemur & subimus,
Infra te patiemur: hoc monebas,
Non est discipulus supra magistrum

82. Crucifixerunt.

Deus charitas est, charitas patiens est:
In Cruce si quando verum hoc apparet vtrumq́;
Hîc amor est patiens, hîc & amor Deus est.

83. Scripsit causam.

Regnum Christe tuæ Pilato iudice mortis
Causa fuit, sed me iudice causa fui.

84. In manus tuas.

Quò plures cælo caperemur, cedere toto
Vult cælo, Patris poßidet ipse manus.

85. In manus tuas.

In patris moriendo manus se colligit: illas
Dum punire parat, stringe teneq́; manus.

86. In manus tuas. Iniecerunt in eum manus.

In manibus primò quisquis fuit hostium: ab illis
Certus in humanas Patris abire manus.

87. Inclinato capite.

Proh quantùm IESVS *hostes dilexit: ad hostes*
Inclinas moriens appropiasq́; caput.

88. Exspirauit.

Quando creatur homo Deus inspirauit in illum,
Heû exspirauit cùm recreatur homo.

89. Emisit spiritum.

-Emi-

Emisit: vis nulla mori te Christe coegit,
Emisit vitam vulnera per tot amor.

90. Tradidit spiritum.

Tradidit hêu animam Patri, non mortuus, inquit:
Tradidit ô animæ traditor ipse suæ.

91 Crucifixerunt. Fluctus tuos induxisti super me.

Extendit duplices hinc hinc super arbore palmas,
Fluctibus inclusus, more natantis agit.

92. Aperuit latus.

Quòd lateat dictum Latus est: latus ergo recludis
Christe tuum, latuit quo tuus Altus Amor.

93. Aperuit.

Non fodit hic aperit prompto quasi limine: miles
Ianitor est, clauis lancea, porta latus.

94. Exiuit sanguis & aqua.

Mistus sanguis aquâ est, aqua manat sanguine:
Hoc pretium Christo sanguinis est quod aquæ.

95. SS. corpora resurrexerunt.

Corpora Sanctorum domino moriente resurgunt,
Sanctorum: debent corpora nostra mori.

96. Qui dormierant surrexerunt.

Sub domini somno debebant lumina mundi
Extingui, & vigiles noctis adesse noui.

97. Erat hortus.

Crux horto vicina fuit: partitio mira:
Ver vt latum habeam, prob habet ille Crucem.

98. In corde terræ.

Est vbi thesaurus cor ibi est: quo Christe sepulchro
Thesaurus terra clausus es, & cor erat.

99. , In corde terræ.

Terra dedit cor Christe tibi: non passus es illi:
Es passus pro me, cor tibi Christe dabo.

100. Et cum ſceleratis reputatus eſt.

Solus habes matrem sine patre, patrem sine matre,
Mentem solus habes, sidera solus habes:
Tempora solus habes, immensaq; secula solus,
Solus habes terras, solus & imperium.
Solus habes vitam, vitam sine crimine solus:
Mortem cum reprobi morte latronis habes.

101. Aduoluit ſaxum magnum.

Humani generis Pater salusq;,
Istâ conditur & petrâ quiescit:
Romanum scelus & furor Iudea,
Hêu idem meus & furor scelusq;:
Qui fles talia, me fleas viator.

I. Z.

APPROBATIO.

EPigrammata ſtudio & ingenio Ioannis Voſdaſsi, S. R. M. Secretarij elaborata, cùm nil Fidei Catholicæ Romanæ, & laudatis moribus diſſentaneum redoleant, in lucem publicam dari permitto. Datum Cracouiæ in Collegio Maiori, die 6. Maij. A. 1676.

M. Andreas Kucharſki, S. Th. Doct. & Profeſſor, Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis Canonicus, eiuſdemq́; Diœceſis Librorum Ordinarius Cenſor. mppr.